



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Trithemij, Spanheimensis, Et Postea Divi Jacobi apud Herbipolim Abbatis, Viri suo aevo doctissimi. Tomus ... Annalivm Hirsavgiensivm

Opus nunquam hactenus editum, & ab Eruditis semper desideratum.
Complectens Historiam Franciae Et Germaniae, Gesta Imperatorum,
Regum ...

Trithemius, Johannes

S. Galli, 1690

De Sigero hujus Monasterij Hirsaugiensis septimo Abbate, qui præfuit
annis XXX. Mensibus III. diebus XI. & gestis illius temporis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38550

De Sigero hujus Monasterij Hirsaugiensis se-
 ptimo Abbate, qui præfuit annis xxx. Mensibus iii. die-
 bus xi. & gestis illius temporis.

Sigerus fit
 Abbas VII.

Mortuo atque sepulto Reverendissimo Abbate Diethmaro, non sine lachrymis filiorum, mox in ejus locum unanimi Fratrum consensu fuit electus Sigerus, Monachus quidam venerabilis, qui Decani (Prioris claustralis) multo tempore gesserat officium; vir morum integritate, ac vitæ merito Reverendus, & tam in divinis scripturis, quàm in sæcularibus litteris egregiè doctus, & ob id non solum Fratribus charus, verùm etiam cunctis in circuitu hominibus multum dilectus, & honorabilis. Præfuit autem in multa sanctitate huic Monasterio Hirsaugiensi annis xxx. mensibus tribus, diebus xi. Hic verò Sigerus ex Moguntia fuit oriundus, qui cum esset annorum xxiv. multumque polleret honoribus in sæculo atque divitijs, consilio inductus Diethmari Abbatis, omnia pro Dei amore contempsit, & sub ejus magisterio in Cœnobia sancti Aurelij hic apud Hirsaugiam monasticæ conversationis habitum suscepit. Qui gratiâ sancti Spiritûs præveniente simul, & comitante in brevi tempore valde in sancta conversatione profecit: vitam ducens coram Deo puram sanctamque, & coram hominibus penitus irreprehensibilem. Anno quinto conversionis suæ communi omnium Fratrum voto, & consensu Prior, seu Decanus Monasterij ob zelum disciplinae, ac vitæ meritum instituitur, in quo officio tam religiosè, tam piè, ac prudenter se gessit, ut omnium laudibus, & amore dignus haberetur. Electus tandem in locum demortui Abbatis pastor in Cœnobia animarum, qualeme exhibuerit subditis, quàm pium, quàm religiosum, quàm zelosum erga disciplinam regularem, quàmque humanum mansuetum, & prudentem, nemo scribere facilius potuisset, quàm illi, qui ejus in carne sanctam conversationem videre meruerunt: in omnibus quippe semper fuit vigilans, atque sollicitus, nihil plus appetens, quàm Deo veraciter placere, & virtutum omnium sevivum, & imitabile subditis præbere speculum, & exemplar; ne bona prædicans faciendâ subditis, semetipsum perderet, si aliter, quàm docebat, illum vivere contigisset. Unde quidquid sermone docuit, exemplo prior demonstravit: nemo illum unquam vidit otiosum, nemo irrationabiliter commotum, vel turbatum, sed in bono virtutum studio semper fuit occupatus, & mente stabilis, atque animo tranquillus. Vitam pulchrè instauravit monasticam, & diligentissimè custodivit Regulæ puritatem.

Berengarius
 ab Ottone
 capitur.

Anno quoque prænotato Berengarius Tyrannidem exercens in Italia, graviter premebat Romanos, quibus nimiam provocatis in iram. Otto Rex Magnus denuo vocatur in Italiam; qui veniens magno cum suorum exercitu Berengarium perjurum, & infidelem superat, & de regno penitus amovit, expellens eum cum uxore de Italia. Sunt, qui scribant eum ab Ottone superatum, de Italia ductum fuisse in Germaniam, & in castro Bambergensi carcerali custodiæ mancipatum, non multò post diem suum clausisse novissimum. Cujus gesta tyrannidem, crudelitatem

Eutran-

Eutrundus Diaconus Ticinensis conscripsit. Anno etiam præsignato Agapitus Papa II. obiit, vir constans innocentisque vitæ, & magnanimus, qui Tyrannorum capita virtute divinâ calcavit, & in Domino confidens nulla hujus mundi adversa formidavit. Mortuus autem in Ecclesia sancti Petri Principis Apostolorum sepultus est, non sine opinione sanctitatis: cui mox in Pontificatu successit Joannes ejus nominis XII. natione Lombardus, & præfuit annis quatuor, mensibus decem, diebus quinque, qui per Ottonem Romæ in Concilio postea fuit ex sententia Cardinalium depositus, ut inferius suo loco latius dicemus.

Joannes fit
Papa XII.

DCCCCLIII.

Anno Sigeri Abbatis secundo Lutholfus dux Suevorum filius Ottonis Regis Magni, Conradi Ducis Lotharingiæ consilio & instinctu, conspiravit adversus Patrem; quod Conrado in malum finem successit, quem admodum inferius suo loco dicemus. Eodem anno mortuus est Wigfridus Archiepiscopus Colonienfis anno Pontificatus sui XIX. cui successit Bruno frater Ottonis Magni Regis Romanorum; vir magnificus, vitæ & actione præcipuus: cujus monumenta pietatis in multis Cœnobiis & Templis Coloniae relucent usque in præsentem diem. Hic in Ecclesia Præsul fuit devotus atque sanctissimus: in exercitu Dux potens & omnibus metuendus. Fratris sui Regis partes omni tempore fidelissimè tuebatur; cujus jussu exercitum pro Ludovico Rege duxit in Galliam, & omnem terram Ducis Hugonis desolavit. Præfuit autem Ecclesiæ Colonienfi strenuè & utiliter annis duodecim, cujus vitam & gesta Rutgerus Monachus sancti Pantaleonis descripsit.

Lutholfus
Suevorum
Dux.

DCCCCLIV.

Anno Sigeri Abbatis tertio Ratherius ex Monacho Lobienfis Cœnobij Episcopus Veronenfis, & bis inde pulsus, Italiam tandem deserens venit in Lotharingiam, & à Brunone Archiepiscopo Colonienfium Episcopus Leodienfis Ecclesiæ post Farabertum ordinatus est: de cujus eruditione & infortunio plura superius jam diximus. Eodem anno Lutholfus Dux Suevorum depositâ rebellionem ad gratiam Patris revertitur: & Conradus Dux Dei & regis impius transfuga perjurus & infidelis ad Ungaros declinavit: quos persuasionibus suis perduxit in Lotharingiam contra imperium Regis, & venientes usque ad Sylvam carbonariam divinâ virtute apud Lobias prodire ulterius prohibiti sunt, & ob id non impunè redierunt. Anno quoque prænotato Ludovicus Rex Gallorum, posteaquam ad pacem & concordiam cum Duce Hugone rediit, tali modo vendendi terminum accepit: nam volens Rhemos adire, cum fluvio Axonæ appropinquaret, per campestria lupum præire conspexit. Quem equo emissio insecutus per devia instanter exagitabat: ad omnes verò in medio cursûs lupi inclinationes equum impatiens obvertebat, nec quiescere patiebatur, donec equestri certamine fugientem evinceret. Equus ergo per invia coactus in cespitem offendens prolabitur: Rex verò graviter corpore attritus casu à suis exceptus est, & cum multo mærore omnium Rhemos deportatus. Vexabatur itaque infestis doloribus corpore toto, & post diutinam infirmitatem corruptis jam interioribus visceribus ob humorum colluviem, papulis crispillatis, quod Galli variolam vocant, toto corpore miserabiliter perfunditur. Quâ infirmitate diutius confectus

Conradus
Dux fugit
in Ungariâ.

Ludovici
Regis casus

Ludovicus
Rex Gallo-
rum mori-
tur.

diem clausit extremum anno vitæ suæ, ut Richerus Monachus ait, tricestimo septimo, regni autem octavo decimo. Post quem Lotharius ejus filius regnavit in Gallia annis ferme duobus & triginta: cujus Mater fuit Girberga soror Ottonis regis magni Germanorum, relicta Ducis Gisberti Lothariorum.

DCCCCLV.

Fridericus
Archiepiscopus
moritur.

Wilhelmus
fit Archiepiscopus
Moguntinus.

Windekindus
scholasticus
Corbejensis.

Windekindus
venit
in Hirsaugiam.

Anno Sigeri Abbatis quarto mortuus est Fridericus Archiepiscopus Moguntinus: cui in Pontificatu successit Wilhelmus filius Ottonis regis Magni, & præfuit annis duodecim. Qui cum esset vir in omni scientia scripturarum doctissimus, scripsit inter cætera ingenij sui opuscula, chronicam temporum, in qua successiones Pontificum Moguntinensium secundum ordinem recensens, de semetipso ita in fine concludit dicens: *Hoc anno beatae memorie Fridericus sancte Moguntiacensis Ecclesie Archiepiscopus octavo calendas Decembris obiit. Eodem vero anno ego Wilhelmus tanta successione indignus loco ejus consensu cleri & populi ejusdem sancte Sedis XVI. Calendas Januarij in loco Arnstetten electus sum. Et in die calendarum Januarij Moguntie ordinatus.* Nota illius temporis consuetudinem, quia nec Romam pro confirmatione mittitur: nec xxiv. florenorum millia, ut hodie, pro confirmatione Archiepiscopi Moguntini exponuntur. Septimo decimo die mensis Decembris Wilhelmus iste fuit electus, & septimâ die postea, ut patet, ordinatus. Eodem Anno mortuus est Diethelmus Monachus & scholarum Magister apud Treviros in Monasterio S. Matthiæ; vir moribus & eruditione scripturarum insignis, & omnium ore famosissimus: de cujus opusculis mentionem fecimus anno Diethmari Abbatis septimo, qui fuit Dominicæ Nativitatis dcccxxxii. Post quem Magister scholarum constitutus fuit Adelbertus Monachus ejusdem Cœnobij, vir prudens & in omni genere scientiarum doctissimus: ingenio promptus & clarus eloquio: metro simul exercitatus & prosâ: qui ad gesta Trevirorum addidit sui acta temporis. Scripsit etiam de Monachorum juvenum institutione ad septem artes liberales nonnulla synthemata: & præfuit scholæ Monachorû annis xxiv. mensibusque tribus. Claruit his etiam temporibus apud Saxones Windekindus Monachus Corbejensis, vir in divinis scripturis doctus, & sæcularis litteraturæ non ignarus, qui annis plus quadraginta scholæ Monachorum præfuit, plures in omni scriptura Monachos erudit. Hic inter reliqua ingenij sui opuscula scripsit de Origine Saxonum libros tres. Ad Mathildem quoque filiam Ottonis primi scripsit gesta Heinrici primi regis librum unum. Ad eandem vitam & gesta Mathildis reginæ uxoris ejusdem Heinrici regis primi. Ottonis quoque primi gesta ad eandem conscripsit. Vitam sanctissimi Pauli primi Eremitæ gemino stylo conscripsit. Passionem quoque S. Theclæ virginis pari dicendi genere composuit. Multa etiam alia scripsisse dicitur: quæ ad manus nostras adhuc minimè pervenerunt. Hic Windekindus in eo libello, quem composuit de studijs veterum Monachorum, fatetur se famam & eruditione Meginradi Monachi atque scholastici S. Aurelij excitatum venisse in Hirsaugiam. & cum eo diebus habitasse aliquantis, multosque ibidem reperisse Monachos vitæ merito venerabiles, & in omni varietate scripturarum doctissimos. Meginradum verò scholasticum his commemorat laudibus, dicens: *Monachorum ille doctissimus præceptor veluti*

veluti Hieronymus aliter divinarum interpres scripturarum profundissimus suam nos eruditione vertit in stuporem: ut verè celestis sapientie dici queat armarium, quippe quem nihil lateat doctrinarum.

Anno prænotato Ratherius ex Monacho Lobiensis Cœnobij anno priore Leodiensis Episcopus factus, inde civium tumultu expellitur: & Baldericus quidam annitente avunculo suo Regenhero Montensium comite in ejus locum Episcopus ordinatur. Ratherius autem jam tertio pulsus, bis videlicet ab Ecclesia Veronensi, & ultimò nunc à Leodiensi ad Monasterium suum Lobias revertitur: ubi supervixit annis decem & novem in omni pace & tranquillitate, nihil amplius de Pontificatu cogitans. Claruit his diebus Mathildis Magni Regis Ottonis filia Monialis & Abbatissa Ordinis nostri Monasterij S. Servatij in Quedelensburg, ad quam Windekindus Monachus Corbejensis plura, sicut diximus, conscripsit opuscula: quæ vitam juxta Regulam sanctissimi Patris nostri Benedicti semper duxit religiosissimam, & multas Christo virgines devotissimas verbo & exemplo in unum congregavit.

Filia Regis
Ottonis fit
Abbatissa.

Claruerunt etiam circa hæc tempora duo Ordinis nostri sanctissimi viri Gregorius Presbyter, & Eberhardus simili ordine sublimatus: quorum primus cum esset filius regis Anglorum, omnia quæ hujus mundi videbantur pro Dei amore deseruit, & exiens de terra nativitatæ suæ Romam peregrinus venit: inde profectus ad Monasterium Cassinense, sanctæ conversationis suscepit habitum, & multum in observantia Regularis disciplinæ brevi tempore profecit. Post annos paucos in visione admonetur ab Angelo Domini, ut pergat in Allemanniam, & quærat in nigra Silva locum, ubi quondam sanctus Meinradus Monachus Augiensis vitam duxerat Eremiticam: quoniam ita placuit Deo, ut ibidem recipiat vitam hujus mansionem. Qui consurgens acceptâ benedictione Pastoris, venit in Sueviam: & factâ inquisitione, locum sibi à Domino præparatum in nigra Silva reperit, & in eo habitare solitarius cœpit. Eodem quoque tempore fuit Eberhardus quondam Decanus Argentinenfis Monachus in Cœnobio Schutterensi, quod S. Pyrminius Episcopus dudum antea construxit, vivens in omni puritate sub venerabili Abbate Theobaldo. Huic in visione apparuit Dei Angelus dicens: *Surge, vade ad servum Dei Gregorium, qui novus Eremita cultor in nigra Silva habitat: tuumq; adventum cum magno desiderio expectat.* Qui mox consurgens cum Abbatis sui Theobaldi consensu & benedictione locum sibi præmonstratum adiit, & sanctum Gregorium se expectantem invenit: à quo susceptus cum gaudio, simul habitare in omni sanctimonia cœperunt. Post hæc Domino adjuvante cellulam, in qua morarentur, construxerunt, & parvam Ecclesiam, quam Christus personali præsentia sanctificavit. Post mortem amborum evolutis paucis annis in eodem loco Monasterium nostri Ordinis in honore beatissimæ semper Virginis Mariæ constructum est: quod ad memoriam horum sanctorum Eremitarum usque in præsentem diem ad Eremitas usitato vocabulo nuncupatur, & magnus ad ipsum quotidie fidelium habetur concursus. Horum alter sanctus Eberhardus beato Pontifici Udalrico Augustensi multum familiaris extitit, & merito sanctitatis charissimus, cui & mortis suæ tempus longè antea prædixit. Ambo tam in vita, quam post mortem infinitis miraculis claruerunt: ambo cata-

S. Gregor,
Monachus
Eremita.

S. Eberhardus
Monachus
Eremita.

Monasterij
Eremitarum
initium.

Iogo sanctorum inserti sunt, amborumque gesta in scriptis habentur. Claruit his quoque temporibus Adelbertus Monachus Metensis in Cœnobio S. Vincentij, scholarum Magister, in omni genere scientiarum doctissimus: qui inter cætera ingenij sui opuscula ad Episcopum Metensem Adelberonem scripsit Chronicon transacti temporis, in quo successiones omnium Episcoporum Metensis Ecclesiæ recensuit. Alia denique nonnulla scripsisse legitur, quæ ad manus nostras necdum pervenerunt.

DCCCCLVI.

Anno Sigeri Abbatis v. Lutholfus Dux Suevorum filius Ottonis Regis Magni cum magno exercitu suorum Italiam hostiliter ingressus Adelbertum Tyrannum in bello superavit, & penè totam devastans Italiam cum multa præda reversus est in Sueviam. Eodem anno Ungari ductu Conradi Lothariensis quondam fugitivi Ducis regnum Ottonis denuo hostiliter invaserunt. Quibus Rex Otto cum suis prope Augustam Sueviæ Metropolim viriliter occurrit. Conradus verò Dux de fuga & iniquitate sua dolens ac poenitens ad regem Ottonem cum lachrymis revertitur: orans Deum, ut in poenam & satisfactionem suæ perfidiæ in ipso bello ab Ungaris perimeretur: quod & factum est. Nam bello urgente gravissimo in eo loco, qui ex nomine fluvij Lech appellatur Lechfeld, non procul ab Augusta civitate Rætiorum, Conradus Dux ab Ungaris interemptus est, & multi ab utraque parte ceciderunt. Cessit tamen victoria regi Ottoni: qui orationibus & meritis S. Udalrici Augustensis Episcopi adjutus, Ungaros in tantum vicit & attenuavit; ut venire ulterius nec vellent, nec possent in regnum Theutonicorum. Conradus tamen Dux secundum desiderium suum in eodem prælio occubuit. Eodem quoque anno Lutholfus Dux Suevorum filius magni regis Ottonis rediens ab expeditione, quam hostili incurfu fecerat in Italia, mox infirmari cœpit, & non diu postea moriens dispositionem provinciæ Suevorum simul & uxorem cum liberis Patri commendavit.

Rex Otto bellū gessit cum Ungaris.

Anno prænotato. cum Joannes Papa duodecimus in omnem esset luxuriam dissolutus, Otto Rex Magnus à Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, & omni populo evocatur in Italiam, ut corruptos Pontificis mores suâ auctoritate emendaret. Qui Romam profectus magno favore omnium exceptus est: & amplissimis honoribus à Patribus & populo cumulatus. Peractis verò, quæ cum Pontifice videbantur pro morum emendatione agenda, Coronam Imperij de manu illius suscipiens juxta consuetudinem antiquam Imperator Romanorum salutatatus est, quod nomen factis adornare non neglexit.

Rex Otto coronatur Imperator.

DCCCCLVII.

Anno Sigeri Abbatis sexto, Hademarus Abbas Monasterij Fuldenfis moritur: Vir prudentiâ & industriâ singularis, qui Ecclesiam Fuldensem incendio funditus destructam magnifico tabulatu à fundamentis novam construxit, & per Marinum Hostiensem Episcopum Apostolicæ Sedis Legatum consecrari procuravit. Cui Hatto sororis suæ filius in Abbacia succetlens, præfuit annis ferè duodecim, & postea, sicut dicemus, in Archiepiscopum Moguntinum ordinatur.

Hademary Fuldenfis Abbas moritur.

Eodem anno mortuus est Rupertus Archiepiscopus Trevirorum, vir sempiternâ memoriâ dignus: Regibus familiaris atque charissimus,

in o-

in omni quoque genere doctrinæ multum eruditus: sapientiâ & eloquentiâ nulli suo tempore secundus, vitæ quoque merito insignis. Qui Ecclesiam strenuè & utiliter omni tempore studuit gubernare. Post quem Henricus Archipræful ordinatus omnes Regulares Officinas, & Claustrum S. Petri circa Ecclesiam renovando construxit, & Regulam Canoniorum in communi Fraternitate conversantium ibidem instaurans & renovans observari præcepit, quemadmodum in gestis Treviorum latius continetur.

Anno etiam prænotato Bruno reverendissimus Colonienſium Archiepiſcopus frater Ottonis Imperatoris primi, qui se non minus Ducem pro Republica geſſit fortiſſimum. quàm in Eccleſiaſticis Officijs religioſiſſimum Sacerdotem, plures Nortmannorum cum Principibus eorum Chriſti convertens ad fidei baptizari fecit.

DCCCCLVII.

Anno Sigeri Abbatis VII. Cruces apparuerunt in lineis veſtimentis hominum, in caſiſijs maximè & peplis mulierum. Quæ res multos ſuâ novitate terruit, & futurorum, ut patet, accidentium ex æris mutatione quædam occulta præfiguratio fuit. Quorundam etiam veſtimenta linea ſanguinolenta viſa ſunt, & quaſi maculis reſperſa lepræ ſubito comparuerunt.

Eodem quoque anno mortuus eſt Reginboldus Spireniſis Eccleſiæ Præful magnificus. qui cùm eſſet Ottoni Magno Romanorum Imperatori admodum charus, plura ab eo beneficia Eccleſiæ ſuæ impetravit: fuit enim vir induſtriâ ſingularis, prudens & eloquens. & qui in ampliandis Eccleſiæ ſuæ proventibus ſemper eſſet ſtudioſiſſimus. Huic in ordine Pontificum Eccleſiæ Nemeteniſis octavus decimus ſucceſſit Gotfridus Monachus Wiſſenburgenſis, & præfuit anno uno.

Anno etiam prænotato Willa quondam uxor Berengarij Regis Italiæ, ipſo, ſicut diximus, apud Bambergam ſub cuſtodia Imperatoris mortuo, ſpreto ſaculo, & omnibus mundi rebus pro Dei amore contemptis, Monafterium ingreditur, & ſub monaſticæ Religionis habitu Domino Deo ſerviens uſque ad mortem Monialis inter Chriſti virgines converſatur. His temporibus Monafterium noſtri Ordinis, quod Hildesleven nuncupatur, in Saxoniæ partibus à fundamentis novum conſtruitur; in quo Monachi cum Abbate ad ſerviendum Dño Deo collocantur. Multa etiam Cœnobia Monialium noſtri Ordinis circa hæc tempora in partibus Saxoniæ conſtructa ſunt, & largitione Principum ac Eleemoſynis fidelium populorum ſufficienti proviſione dotantur.

Anno prænotato Bruno Colonienſium Archiepiſcopus, qui Ducatum regebat nomine Fratris ſui Imperatoris totius Lotharingiæ, ejuſque partes deſenſabat, Raginherum Monteniſem Comitem regnum bellis inquietantem apud Valencianas evocatum cœpit, & irrevocabili exilio perpetuo damnavit. Narratur hujus rei & altera cauſa: mortuo enim Giſelberto Duce Lotharingiæ, de quo multa in præcedentibus dicta ſunt, Raginherus Comes Monteniſis memoratus conſanguineus ejus quædam bona & Dominia, quæ ille uxori ſuæ Girbergæ ſorori Regis Ottonis in dotè contulerat, violenter & ſine jure occupare ac detinere præſumebat; hinc diſplicentiarum fomes ſumpſit exordium, quod Comiti non par-

Nortmanni baptizantur.

Cruces apparent in veſtibus hominum.

Willa Regina fit Monialis.

Cœnobium Hildesleven fundatur.

vum cessit in detrimentū : nam in exiliū actus à venerabili Brunone Archiepiscopo, bona ipsius omnia confiscata sunt, & duo filij ejus Raginherus, & Lantbertus ad Lotharium Regem Gallorum confugerunt, quo petente gratiam postea meruerunt.

DCCCCLIX.

Anno Sigeri Abbatis viii. obiit Gotfridus Episcopus Nemetensis, sive Spirensis, Monachus quondam imperialis Cœnobij Wissenburgensis; vir moribus & conversatione integerrimus, & tam in divinis scripturis, quam in sæcularibus litteris egregiè doctus, qui propter brevitatem Pontificatûs aut nihil, aut parùm facere dignum memoriâ potuit. Post quem Otgerus in Pontificatu Neometensi succedens præfuit annis duobus, & mensibus totidem, vel ut alibi reperimus, annis sex, & mensibus duobus: qui ab Ottone Imperatore I. Privilegium impetravit singularis immunitatis, videlicet præter solum Episcopum aut ejus Vicarium in civitate Spirensi nemini licere publicum tenere Placitum, sive Dux sit, sive Comes, sive alia quælibet persona sæcularis, vel spiritualis.

Otgerus fit
Episc. Spi-
rensis.

Anno prænotato venerunt Legati Gentis Ruscorum ad Imperatorem Magnum Ottonem, postulantes sibi dari aliquem virum doctum, qui eos viam veritatis in fide Christi doceret, & Præsulatum more Christianorum inter illos susciperet. Quibus Imperator iusta petentibus faciliè consentiens, Adelbertum quendam Monachum Cœnobij Corbejenfis in Saxonia virum doctum & sanctum exhibuit, eumque prius ordinari fecit Episcopum, ac deinceps cum Legatis in Russiam Apostolum destinavit: qui multos in terra Rusforum sive Ruthenorum ad fidem Christi exemplo convertit simul & verbo: à quibus tamen postea multas injurias sustinuit, & vix manus non credentium paganorum evasit. Mortuus tandem, sicut & in vita, multis miraculis claruit, & inter sanctorum sive Canonizatorum numerum ejus memoria celebratur.

Adelbertus
ex Monacho
Episc.

Sanctus Lybadius Monachus fuit Cœnobij divi Albani prope Moguntiam, vir in omni genere scientiarum doctissimus, & vitæ merito valde venerandus, qui jussu serenissimi Imperatoris primi Ottonis cum divo Adelberto & multis aliis Monachis pro Christi amore perrexit in Russiam, laborumque Pontificis fidelis coadjutor existens, prædicator veritatis non minùs exemplo, quam sermone constans apparuit. Unde S. Adalberto viam universæ carnis ingresso in ejus locum Episcopus Ruthenorum ordinatus est, & multos ab errore ad veritatem convertit.

S. Majolus
Abb. Cluniacensis.

Claruit his quoque temporibus sanctus Majolus Cluniacensis nostri Ordinis in Burgundia quartus Abbas, vir doctrinâ, & sanctitate præclarus, qui multis signis effulsit atque miraculis. Is anno conversionis suæ ad Monasterium sexto, sancto Ademaro Abbate propter cæcitatem oculorum & corporis imbecillitatem cedente officio, comuni fratrum electione Abbas constitutus est, & vitam in omni sanctitate consummans, Catalogo Sanctorum inferus est, cujus festum undecimâ die mensis Maji celebratur.

DCCCCXX.

Anno Sigeri Abbatis ix. Magnus Imperator Otto Principes Regni omnes convocavit apud Herbipolim civitatem Francorum Orientalium, & habito cum eis maturâ deliberatione consilio, exercitum ordinavit in Italiam.

Conventus
Principum
Herbipoli.

Italiam. Comparuit in eodem Conventu Principum Presbyter quidam, in finibus Thuringorum Eremita, nomine Bernhardus, homo admodum doctus in scripturis Ecclesiasticis, quem vulgus venerabatur ut sanctum. Hic suo alienove spiritu illusus, nescimus, diem jamjam imminere dicebat extremum, & mundum in brevi consummandum, idque sibi à Deo revelatum constanter affirmabat. In cujus rei signum cruces Deum præmisisse apparere in vestibus hominum assererat, nec illas desituras, donec mundi consummatio fiat. Credebant alij vatem hunc esse divinum, alij verò ut hominem vel cerebro destructum, vel arrogantia plenum irridebant. Anno prænotato, Germaniâ simul & Galliâ jam bene pacatâ, sopitisque incurfantium tumultibus in circuitu omnibus, Otto Imperator cupiens etiam reformare Italiam, filium suum Ottonem adhuc puerum, & penè infantem Aquisgrani fecit coronari de Principum omnium consensu in Regem Francorum Orientalium, & Germaniæ totius, eoque post hæc Archiepiscopus Brunoni Colonienfium fratri, & Wilhelmo Moguntinensium filio diligentissimè commendato, ipse cum magno suorum exercitu jam tertio profectus est in Italiam.

Erroneus
Propheta.

Otto Im-
perator pe-
tuit Italiam.

DCCCCLXI.

Anno Sigeri Abbatis x. die Mensis Februarij xv. Indictione Romanorum quartâ mortuus est Boppo Senior Episcopus Herbipolensis, vir moribus & conversatione notabilis, ad cujus preces Otto Imperator primus fratribus Canonicis Herbipolensis Ecclesiæ clementer indulfit: ut quotiens mori contingeret Episcopum, inter se quem judicaverint idoneum, disquirentes eligant, nullius desuper autoritate expectatâ. Mortuo igitur Bopponem memorato Pontifice, Canonici majoris Ecclesiæ Herbipolensis vigore concessi ab Imperatore Privilegij Pontificem super se constituerunt Bopponem juniorem, qui mox ordinatus præfuit annis xxii. Mensibus quatuor, diebus uno & viginti. Hic ab Ottone Imperatore secundo precibus impetravit Privilegium donationis super Ecclesiam in Forcheim cum omnibus ad eam pertinentibus.

His quoque temporibus Bruno Archiepiscopus Colonienfium Monasterium sancti Pantaleonis Martyris in Colonia fundavit, quod multis divitijs ad sustentationem ferventium Deo Monachorum copiose procuravit. In cujus foundationis loco Capella fuit antiquissima sub honore sanctorum Cosmæ & Damiani Martyrum, quam necesse jam fuit evertere, ut spatium nova structura posset conveniens habere. Cùm ergo foderetur terra pro fundamento locando, corpus sancti Maurini Abbatis & Martyris, quod cum inscriptione sua latebat, sub terra inventum est, quod infinitis mox cœpit clarere miraculis, & in prædicto Monasterio honorifice servatur usque in præsentem diem. Fuit autem iste sanctus Maurinus natione Scorus, qui pro Christi amore patriam deserens, verbum Dei prædicavit gentibus, tempore Dagoberti Regis Magni Francorum, cum alijs duobus Monachis discipulis suis, qui simul pro fide Catholica martyrizati fuerunt in terra Saxonie.

Monaste-
rium sancti
Pantaleo-
nis funda-
tur.

Eodem tempore Bruno præfatus Archiepiscopus inter multa pietatis suæ studia corpus sancti Evergisi Præsulis, & Martyris de civitate Tungrorum, ubi antiquitus fuit Sedes Episcopalis, quæ nunc est in Leodio, transfudit in Coloniam, & in Cœnobio sanctæ Martyris Cæciliæ, in

Reliquiæ
Sanctorum
Colonij
illatæ.

quo

quo tunc Moniales fuerunt noſtri Ordinis, collocavit. Item ſuperiorem partem baculi ſancti Petri Apoſtoli, & peciam catenæ, in qua vinctus olim fuerat, cum multis alijs reliquijs impetravit ab Archiepiſcopo Heinrico Trevirorum: quas in majorem Eccleſiam ſuam Coloniaſem reſpoſuit. Corpus etiam ſancti Martyris de Roma tranſtulit in Weſtgaliam, & in Eccleſiam, quæ eſt in Suſato Oppido, collocavit. Item corpus ſancti Eliphij in Monasterium noſtri Ordinis Divi Martini, eo tempore Scotorum in Colonia, ubi hodie oſtenditur, ſimiliter reſpoſuit. Corpus denique ſancti Gregorij Præfulis Spoletani à Roma, & ſancti Agilolphi à Malmundario, ſuſcipiens, ad Coloniaſem ſimiliter tranſvexit.

Christianus
Abb. Sancti
Pantaleonis.

Claruit hiſ quoque temporibus Christianus primus Abbas memorati Cœnobij ſancti Pantaleonis in Colonia: vir in divinis ſcripturis eruditus, & ſæcularis litteraturæ non ignarus, qui natione fuit Saxo, & Monachus Corbejenſis; inde miſſus ad Coloniaſem cum duodecim Monachis, & Abbas à Brunone Archiepiſcopo ordinatus, vitam in omni ſanctitate continuavit Monasticam. Scripſit inter cætera ingenij ſui opuscula ſuper quatuor Evangelia pulcherrimas Homilias in quatuor magnis voluminibus. De Sacramento quoque Altaris, Deſolationes librorum S. Auguſtini libros octo, & quædam alia.

DCCCCLXII.

Otto Imp.
petit Romam.

Anno Sigeri Abbatis xi. Magnus Imperator Otto iterum vocatus à Romanis perrexit in Italiam contra inſolentias Joannis XII. Papæ. qui Romanos ſuâ miſerabili converſatione nimium contriſtans, & ſæpius aſiſatus emendare contempſit. Ingrediente autem Imperatore Romam Joannes Papa malè ſibi conſcius juſtiſſimum non ferens judicem, ſicuti Eutrandus Ticinenſis ſcribit Diaconus, fugit, & Imperatoris præſentiam declinavit. Magna igitur Synodus Episcoporum mandato Imperatoris, & Patrum conſenſu Romæ collecta eſt: in qua de Germania iſti Præfuli proprijs comparuerunt in perſonis. Henricus Archiepiſcopus Trevirenſis, Adaldachus Archiepiſcopus Bremeniſis, Landohardus Episcopus Mindeniſis, Boppo junior Episcopus Wirzburgenſis, Otgerus Episcopus Spirenſis, Udalricus Auguſtenſis, Conradus Conſtantiſis, Thiehardus Episcopus Hildeſheimenſis, Bernhardus Episcopus Halberſtattenſis, & alij multi, quorum brevitatis cauſâ nomina ſubdicemus. Aderant enim in ea ſynodo Episcoporum xxx. Cardinales Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi numero xlviii. Abbates de Germania decem, inter quos fuit Hatto Fuldenſis Abbas, Sigerus Abbas ſancti Albani Moguntinenſis, Theodericus ſancti Maximini Abbas Trevereniſis, Adelhardus Abbas Corbejenſis in Saxonia, Joannes Abbas ſancti Petri & Pauli Apoſtolorum in Wiſſenſburg, Diethardus S. Burkhardi apud Herbipolim, viri ſapientes atque doctiſſimi.

Joann. Pa-
pa accuſat.

Sanctâ igitur ſynodo reſidente crimina ſclerum Joannis Papæ xii. abſentis recitata ſunt, & in conſpectu omnium per unum ex Cardinalibus ſacroſanctæ Romanæ Sedis audiente Imperatore & primoribus urbis publicè lecta: quorum iſta principaliora ſunt capita.

Item Miſſam in quadam feſtivate magna populi officio deputatam ſolemniter celebravit, & non communicavit Corpus & Sanguinem Domini, ſed tradidit Sacramenta Dominica miniſtro Diacono ſumenda.

Item

Item Benedictum Patrem suum spiritalem civem quandam, qui cum de sacro fonte levavit, oculis privavit, qui statim mortuus fuit. Causa fuit, ut alij scribunt, quia confessor ejus erat, à quo noluit reprehendi.

Item Joannem sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconum Cardinalem amputatis virilibus occidit, propterea, quòd illum odio prosequeretur iniquo, cum vir esset doctus iste Cardinalis, & innocentissimæ conversationis.

Item incestum perpetravit cum Stephana patris sui olim concubina publica & notoria: adulterium simul & fornicationem & incestum commisit cum Anna Nepte sua vidua Reinherij, & cum alijs mulieribus multis, & sanctum Palarium Apostolicum Lupanar & prostibulum fecit meretricum.

Item ad Ecclesiam Tudertinam puerum decem annorum ordinavit, & consecravit Episcopum, pecuniâ non modicâ inde ab amicis ejus acceptâ, quod contra sanctorum Canones & illicitum & manifestè prohibitum.

Item ordinationes faciebat pro pretio. Dominicæ immemor sententiæ dicentis: *Gratis accepistis, gratis date.* Sed imitator Simonis Magi factus, omnia sacrosancta ministeria & officia per pecuniam dispensabat.

Item Diaconum quandam ordinavit in stabulo equorum: nec tempus observans debitum & conveniens, nec judicans locum; quia cum esset summus in Ecclesia Pontifex, omnia, quæ voluit, sibi licere putabat.

Item manifestè fuit sacrilegus, quoniam Cruces & Clinodia Sanctuarij pro sua consequenda libidine meretricibus donabat, pauperes Christi non solum negligens, sed etiam penitus contemnens & despicens.

Item nimium erat dissolutus in moribus, & à fidelium Christianorum Religione multum alienus: vinum amore diaboli potavit: non celebravit matutinas, nec alias horas Canonicas persolvere consuevit.

Item in ludis alearum Venerem, Junonem, Mercuriumque & alios gentilium Deos & Deas in adiutorium suum invocavit.

Item nunquam visus est se munire signo sanctæ Crucis: nec observantias aut sanctas Ecclesiæ consuetudines curavit.

Item venationes & alias levitates contra omnem honestatem Ecclesiasticam publicè exercebat, canes nutriens, pauperibus contemptis.

Item Loricâ & alijs armis militaribus indutus contra sanctum Imperatorem quasi Dux cum exercitu processit ad bellum.

Item plures virgines, viduas & maritatas mulieres violenter opprimens stupravit: & in cognationem propriam sæpius incestum perpetravit, cum duabusque sororibus coivit.

Item homicidij, sacrilegij, perjurij, ac simoniacæ pravitatis hæreseos reus accusatus est publicè, & multorum attestacione compertus.

Alia insuper multa gravissima & horrenda in eum scelera dicta & prolata fuerunt coram sancta synodo in præsentia Imperatoris Magni Ottonis per Cardinales, Episcopos, Presbyteros, Diaconos, & alios boni testimonij viros. Quibus auditis Imperator unâ cum sancta synodo ingemuit: & nuncios ad Papam cum litteris misit, rogans & obsecrans eum ut patrem, quatenus redire dignaretur ad urbem, & se coram sancta synodo

Criminum
capita
quindecim
Joannis
Papæ.

nodo de tantis expurgare criminibus non contemneret : se pro viribus cooperaturum spondens, quò res felicem consequeretur finem, modò vel adhuc morum emendaret corruptionem. Sed redire contempsit : unde per decretum sacri Concilij publicè ac solemniter citatus est, ut coram synodo compareat, se de objectis & obijciendis expurgaret legitimè; alioquin se per sententiam à Pontificatùs culmine noverit esse deponendum. Qui citatione contemptà, his verbis synodo rescripsit : *Ego auctori, quòd vultis me à Papatu deponere, & alium Papam ordinare : quòd si facitis, ego excommunico vos.* Sancta igitur synodus videns ejus in obstinatione pertinaciam, anno præscripto, die mensis Novembris vicesimà secundà, quæ fuit Divæ Cæciliæ Virginis & Martyris festum, sacro assistente Imperatore, totòque Romanæ urbis tam Clero, quàm populo Joannem à Pontificatu per unanimum omnium sententiam deposuerunt, propter contumaciam, quâ sancto contradixit Episcoporum Concilio, & ejus multa scelera omnino manifesta. Quo deposito, Clerus populùsque Romanus Leonem ejus nominis octavum ex Monacho Lateranensis Ecclesiæ Diaconum, & sanctæ Romanæ Sedis Protoscriniarium sive Bibliothecarium & Cardinalem, virum scientiâ scripturarum, & morum integritate valde venerabilem unanimi consensu in Papam elegerunt : quem Imperator confirmavit. His ita peractis magnus Imperator (fide à Romanis acceptà sub jurejurando, quòd Leonem nunquam desererent, nec Joannem depositum aliquando reciperent) ne illos suo nimium gravaret exercitu, magnam ejus partem à se dimissam ad Spoletum destinavit. Quod cum Joanni deposito in montibus latitanti fuisset nuntiatum, nuntios clam misit ad Romanos, quos & avaros novit, & novarum rerum cupidos, promittens illis omnes thesauros Ecclesiæ se daturum, si Imperatorem Ottonem simul cum Leone suo Pontifice occiderent. Romani ergo tam meretricum Joannis seditione commoti, quàm ejus pollicitationibus animati, paucos esse cum Imperatore conspicientes, buccinà concrepant, & super Imperatorem nihil tale suspicantem irruentes, ipsum cum suis interficere contendunt. Quibus in ponte Tyberis, quem curribus impleverant, Magnus Imperator cum suis armatus occurrit; cujus fortissimi milites assuefacti ad præliandum in eos audacter insiliunt, & quemadmodum accipitres parvas deterrent aviculas, ita perjuros & infideles Romanos multos pauci robustissimi Germani trucidantes cum plaustris in flumen projiciunt. Mox in fugam conversi Romani per diversâ urbis lacubula sese recipientes, salutem querere sunt compulsi : & qui occidere Imperatorem venerant, ab ejus militibus sine misericordia, ut meruerunt, occiduntur : non lacubula quæque, non corbes, non concava ligna, non cryptæ sordium receptacula fugientes eos tueri potuerunt. Occiduntur itaque Romani à Germanis sine numero, sine misericordia, sine quoque delectu personarum : nec unus quidem ex omnibus remansisset superstes, si non Imperator pientissimus misericordiâ motus, in eos, quibus nulla miseratio debebatur, milites adhuc interficere perfidos cupientes à cæde revocasset in vitos. Itaque Imperator devictis Romanis, & ab illis, qui post cædem remanserant, obsidibus, ut voluit receptis, iterum eos juramento ad obedientiam Leonis Papæ constrinxit. Venerabilis autem Papa Leo ad pedes Imperatoris provolutus rogavit, obsides dimitti Romanis; cujus

intuitu

Jean. Papa
deponitur
à Concilio.

Leo ex Mo-
nach. Card.
fit Papa.

Joann. de-
positus sol-
licitat Ro-
manos.

Romani
cæduntur à
Germanis
nostris.

intuitu mox fuere donati; quanquam sciret animos illorum esse fictos atque fallaces, quibus fraude rotum, nihil de fide constaret. His tandem peractis Pontificem Romanorum fidei sanctus Imperator commendans cum suis illico ab urbe Roma discessit.

Post Imperatoris ab urbe discessum, mulieres, cum quibus Joannes abrogatus quondam Pontifex suas exercere voluptates consuevit, & numero plures, & genere potiores concitavere Romanos, ut Leonem occiderent, & Joannem ad Petri Sedem revocarent; quod cum sancto Leoni secretè innotuisset, Deo miserante cum paucis evasit, & ad magnum Imperatorem Ottonem festinus accessit. Quo recedente mox in urbem Joannes abrogatus reducit, & in summi Pontificatus throno collocatur. Statim ergo inter cetera crudelitatis suæ scelera Joanni Diacono Cardinali manum amputat, & Azoni Scriniario sanctæ sedis Cardinali linguam & duos dextræ manus digitos abscindens similiter truncat.

His cognitis Imperator tantas ulturus injurias servorum Dei, coadunato suorum exercitu Romam redire disposuit, & omnia quæ ad hujus itineris consummationem videbantur necessaria, parat. Interea dum his Imperator esset intentus, Joannes recuperato Pontificatu nihil pravitate suæ corrigens, vitam suo more cum meretricibus agebat imundam. Qui cum uxore cujusdam Romani potentis lascivens quadam vice ab ipsius marito est interfectus: vel ut alij scribunt, à diabolo percussus, octavo post die sine pœnitentia & Sacramentis Ecclesiæ interijt. Quo mortuo Romani omnes jurisjurandi penitus obliti, non expectatâ justificatione vel mandato Imperatoris, Benedictum quemdam Diaconum Cardinalem in ejus locum Papam ordinârunt: seque illum nunquam dimisuros, sed contra Imperatorem defensuros promittunt. Hæc audiens Imperator Romam cum exercitu properat, & urbem ab omni parte obsidione vallat, neminem qui non truncaretur membris, exire vel intrare permittens. Urbem fame machinisque gravissimè oppugnans tandem cepit, & cum universo exercitu potenter intravit. Leonem inprimis venerabilem Pontificem, quem secum reduxerat, in sedem Apostolici culminis locando restituit: & postea Benedictum capiens ad ejus pedes veniam petere coëgit, quem sancto decernente Concilio post publicam in Synodo susceptam pœnitentiam usque ad mortem in Saxoniam exilio condemnavit: ubi in amaritudine animæ tandem defecit. Occupaverat autem sedis Apostolicæ culmen mensibus ferme tribus. Leo sanctissimus Præsul VIII. ejectione Benedicto, sicut diximus, V. præfuit anno, duntaxat uno, mensibus quinque, vir doctrinâ, & vitæ merito præstantissimus, & in pauperes singulari devotione misericors: qui à juventute in Cœnobio sub norma divi Patris Benedicti quàm optimè institutus, magnæ sanctitatis & prudentiæ Præsul enituit. Imperator autem sumpto de principibus factionum supplicio, acceptisque à Romanis obsidibus, cum eis in Germaniam reversus est.

DCCCCLXIII.

Anno Sigeri Abbatis XII. Adelbero Metensis Episcopus moritur: cui Theodericus consobrinus Imperatoris tam Cleri, quàm totius populi electione successit: qui fuit vir Ecclesiasticæ disciplinæ doctissimus, & in ordinandis sanctuarijs Domini valde studiosus.

P 2

Eodem

Romani
Leonē vo-
luerunt oc-
cidere.

Joannes ab-
rogatus Pa-
pam moritur.

Imper. ur-
bem obsi-
dione val-
lat.

Benedictus
v. exul.

107
107

Synod. Epi-
ſcopor. Mo-
guntiaſe ce-
lebratur.

Eodem anno Imperator magnus Otto rebus Imperij ubique Deo miſerante pacatis, ne tanta bonitati largitoris omnium bonorum videretur ingratus, cujus munere jam quietus imperabat, animū ad reformationem Eccleſiaſtici ſtatūs appoſuit, quod etiam celeri mox ſtudio implevit. Convocatis namque omnibus Germaniæ Pontificibus ſimul, & Abbatibus Concilium apud Moguntiam generale habuit, quod tribus ferè menſibus à Feſto Paſchatis continuè duravit. Comparuerunt in hac ſynodo ex Epiſcopis quidem ſubſcripti: Wilhelmus Archiepiſcopus Moguntinus filius Imperatoris, Bruno Archiepiſcopus Coloniensis frater Imperatoris, Heinrichus Archiepiſcopus Trevirorum, Adelbertus qui & Herdingus ex Monacho primus Archiepiſcopus Magdeburgensis, Boppo junior Epiſcopus Herbipolensis, Udalricus Epiſcopus Auguſtensis, Conradus Epiſcopus Conſtantiensis, ambo Viri ſanctæ converſationis, Orgerus Epiſcopus Spirensis, Theodericus Epiſcopus Merensis, & alij complures, abſentiūmque nonnullorum miſſi procuratores. Inter Abbates verò comparuerunt Hatto Fuldenſis, Sigerus quoque Abbas hujus Cœnobij Hirſaugienſis, item Abbas Hirſfeldenſis, Abbas S. Albani Moguntinenſis, Abbas S. Ferrucij Bildenſtatenſis, Abbas Selgenſtatenſis, Abbas Lauriſhemensis, Abbas ſancti Petri Erpfordenſis, Abbas S. Burchardi Herbipolensis, Abbas Nevvſtarenſis, Abbas in Amorbach, Abbas in Schutteren, Abbas S. Galli, Abbas in Augia majore, Abbas Corbejenſis in Saxoniâ, Abbas S. Matthiæ Treverenſis, Abbas S. Maximini Treverenſis, Abbas Mediolacenſis, Abbas Tholeyenſis, Abbas S. Pantaleonis Coloniensis, Abbas Wiſſenburgenſis, Abbas Hornbacenſis, & alij multi. In hac ſancta convocacione Magno Imperatore præcipiente multa ad reformationem ſtatūs Eccleſiaſtici atque Monaſtici tractata ſunt: quæ cum ſcripta habeantur ad verbum, cauſâ brevitatis non ſignamus.

DCCCCLXIV.

Anno Sigeri Abbatis XIII. Otto Imperator Magnus Pentecoſten Aquigrani celebravit, concurrentibus ad eum ex Gallia ſororibus ſuis, Reginâ ſcilicet Gallorum Girberga Matre Lotharij Regis, & Caroli Ducis, & Hathvide uxore Hugonis Pariſiorum Comitum: quorum filius fuit alter Hugo, qui poſtea regnavit in Gallia. Ubi omnis illa regalis Proſapia tanto ad invicem congratulationis jubilo affecta eſt, ut in omni vita eorum vix aliquid gaudij huic læritiæ habuerint comparandum. Aderant & alij Principes Imperij plures ad feſtum diem ab Imperatore convocati, ſimili exultationis jubilo lætantes.

Anno prænotato Benedictus, qui fuerat Romanus Pontifex creatus contra Leonem Papam VIII. apud Saxones in exilio moritur: amaritudine animi, & mœrore graviffimo, ut fieri ſolet, deficiens.

Leo Papa
VIII. obiit.

Eodem quoque anno Leo ex Monacho & Cardinali Papa, ejus nominis VIII. Romæ moritur: cui Joannes XIII. natione Italus, patriâ Narnienſis ſuccedens præfuit annis ferme octo, quem Romani plurimum perfecuti ſunt, dederuntque operam, ut à Godfrido Campaniæ Comite in Lateranenſi Eccleſia caperetur, & in carcerem truderetur. Verum poſtea idem Campaniæ Comes unâ cum filio ſuo à Joanne Capuanorum Principe trucidatus eſt; & Joannes Papa poſt undecimum calamitatis ſuæ menſem liberatus Romam revertitur.

Anno

Anno prænotato Bruno Dux, & Archiepiscopus Coloniensis. Vir Ecclesiasticae disciplinae studiosissimus, synodum Coloniae Provincialem celebrans, omnes Episcopos, & Abbates de toto Archiepiscopio suo convocavit, & multa in eodem sancto Concilio ad utilitatem communem constituit.

DCCCCLXV.

Concilium
Provincia-
le apud Co-
loniam.

Anno Sigeri Abbatis xiv. obiit Meginradus Monachus, & Magister Scholarum hujus Cœnobij Hirsaugiensis, xvi. die Mensis Januarij, anno ætatis suæ sexagesimo quinto, vir in omni genere doctrinarum eruditissimus: de quo in præcedentibus anno Diethmari Abbatis xxvii. dictum est: qui non solum in scientia scripturarum Monachos juniores optimè instituit, sed etiã in bonis morib⁹ ad puritatem Regulæ Monasticæ utiliter erudit. Scripsit ad institutionem discipulorū suorum de Computo Ecclesiastico libellū brevem, sed valde utilem, ad Windekindū Corbejenfis Cœnobij Monachum, atque Scholasticum. Composuit de novis adinvenis veterum libellum unum. In Psalmos librum Commentariorum edidit. Epistolas ad memoratum Windekindum plures satis eleganter scripsit. Sed & alia pleraque scripsit nobis incognita. Post Meginradum Reginhardus Monachus Magister scholarum sancti Aurelij constitutus est, & docendi munere fungitur annis 12. Vir quidem satis doctus, quamvis ad mensuram Meginradi non pervenerit, nec eam docendi gratiam & alacritatem per omnia fuerit affectus: qui an scripserit quidpiam de suo ingenio, certum non habemus. Egwardus Monachus sancti Aurelij Hirsaugiensis Meginradi quondam discipulus, vir doctus, & Prædicator egregius, nec minus vitæ merito, quam eruditione scripturarum illustis, jubente Ottone Imperatore Magno Episcopus Slesvicensis in finibus Saxonie factus est, qui sanctitatis suæ manifestum omnibus præbuit signum. Nam hominem in mari submersum suis precibus coram multitudine hominum ad vitam revocavit. Unde in stuporem conversi Slesvicensis nomen illi dederunt Viri Dei, appellantes eum Gottmannum causâ reverentiæ, & honoris utpote quem tanto miraculo Dei cognoverunt esse amicum.

Egwardus
hic Mona-
chus fit Ep.

His etiam temporibus mortuo Adelhardo Abbate Monasterij sancti Albani prope Moguntiam, Wernherus hujus Cœnobij Hirsaugiensis Monachus, mandante Wilhelmo Archiepiscopo Moguntino in Abbacia successit, vir magnarum virtutum, & prudentiæ singularis, qui pro doctrina, & vitæ merito in magno apud Moguntinos pretio fuit. Bernolfus quoque Monachus hujus Cœnobij Hirsaugiensis, & Meginradi scholastici quondam Auditor, atque discipulus, eadem tempestate propter vitæ meritum, & celestis abundantiam doctrinæ ad Monasterium sancti Ferrucij, quod Blidenstat nuncupatur, Abbas destinatur.

Anno prænotato mortuus est Otgerus Episcopus Spirensis ex Monacho, ut Erchenbaldus scribit, Cœnobij sancti Pirminij Præfulis in Hornbach, qui fuit vir in omni scriptura doctissimus, vitæ quoque merito sanctissimus, & Imperatori Magno Ottoni singulari veneratione charissimus, à quo immunitatis præcipue privilegium impetravit. Huic in ordine Pontificum Spirensis Ecclesiæ vicesimus Præful immediatè successit Baldericus, & præfuit annis ferme xii. alij dicunt xxiii. qui bona quadam non parvæ æstimationis Ecclesiæ suæ ab Ottone II. impetravit.

DCCCCLXVI.

Otto Imp.
Romā pro-
ficiscitur.

Anno Sigeri Abbatis xv. Otto Imperator Magnus Romam duplici causā proficiscitur, quarum altera devotio in sanctos fuit Apostolos: altera verò, ut Joannem Papam xiii. ab injurijs & persecutionibus continuis infidelium eriperet Romanorum.

Bruno Ar-
chiepiscop.
moritur.

Anno prænotato Bruno Dux, & Archiepiscopus Coloniensis, Frater Imperatoris Magni Ottonis pergens in Galliam ad pacificandum Nepotes suos, Lotharium videlicet Regem, & filios Hugonis dissidentes ab invicem, ubi Compendium venit, febre correptus, ad civitatem Rhenorum redit; ibi quidquid habuit, Ecclesijs per testamentum legavit, munitusque Sacramentis Ecclesiasticis in Domino quievit. Cujus corpus Theodericus Metensium Episcopus Consobrinus ejus Coloniā reculit; & sicut ipse mandaverat, in Cœnobio sancti Pantaleonis à se fundato sepelivit. Erat autem vir aeternā memoriā dignus, qui multa fecit miranda; qui Ducatum Lotharingæ sibi commissum à Fratre tantā prudentiā gubernavit, & Pontificis officium minimè neglexit. Pontem quoque permagnificum, quem Carolus Imperator quondam Magnus apud Coloniā super Rhenum fecerat, iste Bruno destruxit: propterea quòd multa fierent in eo latrocinia hominum, quorum cadavera de Ponte in Rhenum nocturnis horis mittebantur. Huic in Archiepiscopatu Coloniensis Ecclesiæ successit Volmarus, & præfuit annis ferme vi. qui structuram Cœnobij sancti Pantaleonis in Colonia inceptam à Brunone Archiepiscopo illius jussu, & impensis perfecit.

Volmarus
fit Archie-
piscop. Co-
loniēsis.

DCCCCLXVII.

Otto II.
Romæ co-
ronatur.

Anno Sigeri Abbatis xvi. Otto Imperator Magnus, cum exercitu perrexit in Italiam, sicut consuetudinem habebat singulis penè annis visitare Romam, tum propter devotionem, quam mente gerebat in sanctos Apostolos, tum propter levitatem Romanorum. Qui cum Romæ jam tranquillus existeret, Ottonem filium suum per litteras evocatum de Germania in Italiam à Joanne Papa in die Natalis Domini cum magna pompa fecit Imperatorem benedici. Hic est Otto Imperator II. de quo post obitum Patris latius dicitur.

Eodem anno Wilhelmus Archiepiscopus Moguntinus filius Magni Ottonis Imperatoris moritur, in cujus locum Hatto ejus nominis secundus Abbas Fuldenfis, jubente Imperatore Archiepiscopus fuit ordinatus: qui singulari prudentiā, & industriā præditus Imperatoribus semper dilectus, & obsequentissimus extitit. Cui successit in Abbacia Fuldensi Wernherus Monachus vitā, & eruditione præclarus, qui multo tempore Magister scholarum fuerat ab Hademaro quondam Abbate Reverendissimo ejusdem Cœnobij institutus.

His ferme temporibus claruit Hedericus Monachus, & Scholasticus Monasterij Wissenburgensis, quod septē à Spira milliaribus ferme distat, vir tam in divinis scripturis, quàm in sæcularibus litteris omnium opinionione doctissimus, qui metro & prosā exercitatus in utroque scribendi genere multa lucubrâsse dicitur: quorum tamen ad nostram noticiam paucissima hæcenus pervenerunt; exstant ejus in Cantica Canticorum non inelegantes Commentarij: in quatuor sanctissima Christi Evangelia libri totidem; Homiliæ quoque plures sub ejus nomine feruntur, quas
tam ad

tam ad populū habuit, quā etiam ad Fratres certis anni solemnitatibus.

Anno prænoto, quartā decimā die Mensis Martij moritur Mach-
tildis Regina, Mater Ottonis I. relicta Heinrici Regis, plena operibus bo-
nis, & elemosynis, cunctis divitijs regalibus distributis servis Dei, & an-
cillis, atque pauperibus, anno viduitatis suæ primo supra tricesimum,
Sabbato post Dominicam Quadragesimæ primam, eā scilicet horā, quā
pauperes Christi semper in Quadragesimā recreare consueverat, id est,
Nonā, de labore ad requiē cum fructu sexagesimo transiens, reddente illi
Domino coronam iustitiæ, pro cuius amore omnia hujus mundi blandi-
menta contempsit. Sepulta est in Ecclesia sancti Servatii in Quetelen-
burg juxta corpus Heinrici Regis Mariti quondam sui, quemadmodum
vivens mandaverat. Cujus vitam virtutibus, & miraculis claram Win-
dekindus Corbejenfis Cœnobij Monachus, de quo supra diximus, ornato
seripsit eloquio.

DCCCCLXVIII.

Anno Sigeri Abbatis xvii. Otone Imperatore Magno Romæ cum
filio jam coronato existente. quidam familiaris ejus ante oculos omnium
à diabolo correptus, ita ut seipsum dentibus discerneret, jussu Imperatoris
ad Papam Joannem adducitur, ut catena sancti Petri collo ejus circum-
ligaretur: Clerici verò, nescio quid mente gerentes, semel & iterum ca-
tenam non sancti Petri, sed alienam fallaciter tamen sub nomine Aposto-
licæ adhibuerunt, quarum attacku infirmus nihil percepit relevaminis, u-
bi nihil erat virtutis. Tandem vera S. Petri catena allata, & collo furen-
tis circumdata cum fuisset, diabolus rugiens, & multum spumans discessit.
Quam catenam Theodericus Metensis Episcopus, qui adstabat, arreptam,
cum diceret se eam nisi manu abscissā non dimissurum, tandem Impera-
tor sedato litigio à Papa Joanne obtinuit, ut annulum ejusdem catenæ
unum exfectum Episcopus habere mereretur.

Miraculū
catenæ san-
cti Petri.

Eodem anno Imperatore magno Ottone de Italia in Germaniam
reverso Romani traditione factā Joannem Pontificem in Ecclesia Latera-
nensi divina celebrantem mysteria, per Campaniæ Comitem, ut supra di-
ctum est, capi faciunt: qui exul deportatus in Campaniam undecim men-
sibus carcerali custodia non sine contumelia detentus est. Quibus audi-
tis Imperator valde commotus est: & reditum in Italiam maturare sata-
git, quem tamen differre in sequentem annum coactus est.

DCCCCLXIX.

Anno Sigeri Abbatis xviii. Magnus Imperator Germanorum Ot-
to, cum magno exercitu suorum intravit Italiam, & veniens Romam
undecim Principes Romanorum Nobiliores, qui in captionem Joannis
Papæ conspiraverant, laqueo fecit suspendi. De ceteris quosdam gladio
truncari præcepit, quosdam ad Saxoniam in exilium irrevocabile desti-
navit. Deinde filios Romanorum centum numero ex potentioribus
capiens obsides, secum duxit in Germaniam.

Joann. 13.
Papa Ro-
mæ capi-
tur.

His quoque temporibus Theodericus Metensis supradictus Episco-
pus Monasterium nostri Ordinis in Insula juxta civitatem Metensem de
bonis suis fundavit, quod consummatum sub honore Divi Martyris
Vincentij consecravit, in quo multas reliquias SS. reposuit, quas Impera-
torem triennio in Italia expeditione sequens tam à Papa Joanne, quā ab
alijs

Cœnobij
S. Vincen-
tij Metis
fundatur.

alijs diſerſis quocunq; poterat modo impetravit. Et hæc quidem eura parte carenz ſancti Petri Apoſtoli cum capillis ejuſdem, & ſanguine ſancti Protomartyris Stephani, & parte de craticula ſancti Laurentij Martyris. à Papa Joanne ſibi donatâ in Galliam hoc anno detulit, & in eadem Baſilica ſancti Martyris Vincentij cum honore collocavit.

DCCCLXX.

Joannes
Imperator
Græcorû.

Anno Sigeri Abb. xix. Nicephorus Imperator Græcorû apud Conſtantinopolim jam ſenio gravatus, timens de imperio expelli à filijs ſuis, cogitavit illos evnuchizare. Quorum Mater Regina, quoniam nullo eoi alio poterat modo liberare, ſuaſit Joanni Nicephorum occidere, & imperare. Joannes itaque occultè cum ſunibus intravit palatium, & occiſo Imperatore Nicephoro ejus ſibi uſurpavit imperium. Hujus Joannis Græcorum Imperatoris filiam nomine Theophanam Otto ſecundus Imperator Romanorum adhuc patre ſuo vivente & jubente duxit uxorem, quæ peperit ei filium, Ottonem ſcilicet tertium.

Anno prænotato viceſimâ primâ die Menſis Aprilis obiit Heribertus Monachus & Magiſter ſcholarû Cœnobij ſancti Wilibrordi Epternacenſis, vir in omni varietate ſcripturarum doctiſſimus, de quo ſupra dictum eſt anno Dietmari Abbatis viceſimo ſeptimo: de cujus lucubrationibus pauca in manus noſtras hætenus pervenerunt: etenim ſicut Meginfriſus ait, divinarum ſcripturarum explanator ſubtiliſſimus fuit, & multos in utriuſque libros teſtamenti commentarios fecit. De moribus veterum Monachorum uilem tractatum compoſuit, in quo penè omnium inſtitucionum Clauſtralium ante ſe mentionem fecit. De menſura Monochordi ſimiliter ſcripſit. Huic in Magiſterio ſcholæ Monaftericæ ſucceſſit Rudgerus ejuſdem Cœnobij Monachus, qui ſuâ eruditione plures laudabiliter inſtituit: quos non modo verbis, ſed etiam exemplo in omni ſanctitate præceſſit: qui & ipſe nonnulla ſynthemata lucubrâſſe dicitur: quorum lectio ſe & tunc præſentibus utilem, & poſteris omnibus commendabilem fecit.

Bajan. Rex
& Necromanticus.

His quoque temporibus dominabantur genti Bulgarorum, quæ fuit pars Græciæ, duo fratres filij Simeonis ex Monacho quondam Regis. Petrus videlicet, & Bajanus: è quibus Bajanus in arte Magica peritiſſimus omnium ſuo tempore mortalium habebatur, per quam ſtupenda faciebat. Nam quotiens voluit, ſe vel in lupum, vel in aviculam, aut quamlibet beſtiam aliam dæmonum cooperatione mutaviſſe non dubium à neſcientibus præſtigiatorum ejus rationem occultam putabatur. Multa inſuper & alia patravit miranda, quæ cum dæmonum ſint ludibria, parùm intereſt, ſi vel negligantur à nobis, vel contemnuntur.

S. A. Abba
Floriacenſ.
Abbas.

Claruit his temporibus in Gallia Abbo, ſive Ebbo Floriacenſis Monafterij Ordinis noſtri clariffimus Abbas; vir in divinis ſcripturis erudiſſimus, & ſæcularis litteraturæ non ignarus; qui ſcripſit inter cætera ingenij ſui opuſcula ſuper calculo Victorij librum unum. Hic divino ſuæcenſus amore verbum Dei in Vaſconia prædicans, Martyrio coronatus eſt, proprijque ſanguinis effuſione teſtimonium præbuit veritati.

Aimolnus
Floriacenſ.
Monachus.

Aimolnus quoque ejuſdem Floriacenſis Cœnobij Monachus, hæc tempora ſuis lucubrationibus in Ordine noſtro reddidit clariora, qui eum eſſet vir in omni genere ſcientiarum doctiſſimus, magro exercita-

us, &

aus. & prosâ, scripsit ex mandato Abbonis memorati Abbatis sui, de miraculis sanctissimi Patris Nostri Benedicti, cujus se corpus habere Floriacenses & confirmant, & gloriantur: licet Monachi Cassinenses contradicant. Scripsit etiâ chronicon Monasterij sui Floriacensis. in quo multa per digressum intromiscuit, de gestis & historia Gallorum; cætera verò, quæ scripsisse dicitur, ad nostras manus adhuc minimè venerunt.

Claruit his etiam temporibus in Monasterio Fuldeni post Wernherum Poppo venerabilis Monachus, Magister scholarum consensu omnium constitutus; qui cum esset omni scientiâ scripturarum eruditissimus, multorum audientium præceptor egregius fuit. Hic, ut Meginfridus testatur, libros Boëtij de consolatione primus inter omnes suis commentariis explanavit. Plura denique veterum synthemata Philosophorum suis discipulis legere consuevit, quæ ornatissimo dicendi genere singulari modo commentandi scriptionis lumine propriæ referavit.

Richardus ex Monacho S. Germani Episcopus Aquisgranensis his etiam temporibus claruit. vir magnæ simplicitatis, & minoris industriæ circa res mundiales, quàm illud requirere tempus videbatur; vitæ tamen merito, & zelo sacræ Religionis multum venerabilis extitit, & ob id magis rectæ conversationis exemplo, quàm sermonis ornatu populos erudivit.

DCCCCLXXI.

Richard. ex
Monacho
Episcopus.

Anno Sigeri Abbatis xx. Otto magnus Imperator in Italia Romæ constitutus, Theophanam filiam, vel ut alij quidam volunt, neptem Joannis Imperatoris Constantinopolitani Ottoni filio suo Coimperatori dedit uxorem, quam Joannes Papa decimus tertius mox in Reginam coronavit, quæ peperit Ottonem postea Imperatorem, ejus nominis tertium. Claruit circa hæc tempora sanctus Wolfgangus ex Monacho & Eremita Episcopus Ratifponensis in Bavaria; vir doctus, & sanctissima conversationis, qui multis tam in vita, quàm post mortem coruscavit miraculis. Hic tantæ fuit eruditionis in omni genere doctrinarum, quòd apud Treviros publicæ scholæ aliquandiu præfuit; & nonnulla etiam satis eleganter tam metro, quàm prosâ scripsit. Deinde considerans omnia esse vana, quæ mundus vel continet, vel pollicetur, sæculi Philosophiam pro Dei amore deseruit, & monasticæ conversationis habitum assumpsit. Factus tandem Episcopus vitam suam in omni sanctitate puram tenuit, & gregem sibi commissum diligenter custodivit. Claruit his etiam temporibus Roswitha Monasterij Gendeshemensis in Saxonia Ordin. nostri monialis, virgo nobilis, in divinis scripturis simul, & in secularibus litteris studiosissima, metro simul erudita scribere & prosâ: nec minus eruditione, quàm vitæ merito veneranda. Scripsit quædam non spernenda lectionis opuscula, de quibus nos vidimus subjecta. Ad Gerbergam Abbatissam heroico carmine lucubravit de vita & integritate Beatæ Mariæ Virginis librum unum. De Ascensione Domini eodem carmine librum unum. De S. Gingsolfo Mart. librum unum. De passione S. Pelagij illis temporibus in Corduba martyrizati librum i. De lapsu & pœnitentia S. Theophili Vice-Domini lib. i. De lapsu illius juvenis, qui meritis sancti Basilij pœnituit. lib. i. De passione S. Dionysij Episcopi Arcopagitæ Martyris. lib. i. De passione S. Agnetis virginis. lib. i. Omnia præsignata eleganti carmine composuit. Scripsit præterea Comædias sex,

S. Wolf.
gangus ex
Monacho
Episcop.

Roswitha
Monialis
doctissima.

Q

Stylo

Stylo imitata Terentium; quarum prima inscribitur conversio Gallicani Principis, passionem includens Joannis & Pauli Martyrum. Secunda est de passione sanctarum Agapis, Chione & Herenæ Virginum. Tertia de resurrectione Callimachi & Drusianæ per sanctum Joannem Evangelistam. Quarta est de lapsu & pœnitentia Mariæ sororis Abraham Abbatis & Eremitæ. Quinta est de conversatione Thaidis meretricis. Sexta verò passionem recitat sanctarum Virginum Fidei, Spei, & Charitatis. Scripsit etiam metricè gesta magni Ottonis Imperatoris primi lib. 1. Diversorum quoque carminum & Epigrammaton lib. 1. Epistolas etiam quasdam non inelegantes. Reliqua ejus opuscula in manus nostras non venerunt.

DCCCCLXXII.

Gerofit Archiepiscop.
Colonienf.

Anno Sigeri Abbatis XXI. Indictione quintâ decimâ Volmarus Archiepiscopus Colonienfis obiit, cujus filius Christiani Comitis & Wiburgis Comitissæ sororis Comitis Magdeburgensis Gero nomine successit: vir per omnia magnificus, & in ampliando cultu divini honoris valde studiosus; multa enim bona fecit in toto regiminis sui tempore. Monasteria vetustate collapsa ad pristinum statum restauravit: & plures de novo Ecclesias in Colonia simul & extra construxit. Erat in timore Domini fundatus: cujus amore omnem hujus Mundi vanitatem forti animo contemnens, Dei amicus esse meruit in æternum.

Cœnobiū
Nienburg.

Ille Reverendissimus Archiepiscopus Gero cooperante fratre suo Comite Diethmaro Monasterium Abbatiale nostri Ordinis fundavit in Saxonia, quod Neoburgum appellatur: sed usitatò vocatur in Saxonica lingua Monichen-Nienburg; quoniam inhabitatur à Monachis Regulam sanctissimi Patris nostri Benedicti profitentibus.

Anno prænotato Joannes Papa XIII. moritur, cui Benedictus ejus nominis sextus, patriâ Romanus successit, & præfuit anno uno & mensibus septem: qui & ipse multas à Romanis injurias sustinuit, à quibustandem captus, & in Castellum S. Angeli trusus, in amaritudine animi tabescens ac deficiens, miseram cum morte vitam commutavit. Eodem

Otto Imperator I. moritur.

anno magnus Imperator Otto primus de Italia reversus in Saxoniam, graviter cœpit infirmari: & morbo tandem prævalente mortuus est, septimâ videlicet die mensis Maij, anno regni sui, ut supputatio refert, sexto atque tricesimo; sepultus in Ecclesia Magdeburgensi, quam ipse à fundamentis construxerat. Cujus vitam Witikindus Corbejenfis Monachus, ut supra diximus, descripsit: qui etiam historiam originis & gestorum Saxonum usque ad hunc annum composuit. His quoque temporibus Hermannus Dux quidam Saxonie magnificus Cœnobiū Ordinis nostri fundavit in Luneburg sub honore S. Archangeli Michaelis, quod multis prædijs & redditibus dotavit: sicut & in hunc usque diem multis cernitur bonis locupletatum; in quo Monachos juxta S. Patris Benedicti Regulam conversantes posuit: quorum primus Abbas Ludericus de Cœnobio S. Pantaleonis ex Colonia Monachus religiosissimæ conversationis assumptus fuit.

Monasterium in
Luneburg fundatur.

DCCCCLXXIII.

Anni Sigeri Abbatis XXII. Otto secundus Magni Ottonis filius dudum Romæ à Papa Joanne coronatus Imperator, post obitum patris de communi Principum Germaniæ electione & consensu regni gubernacula susci-

fulcipiens imperavit annis x. qui patre adhuc vivente, sicut diximus uxorem duxerat Theophanam filiam Joannis Imperatoris Græcorum, qui patrem suum Nicephorum suafu matris, ut supra dictum est, interfecerat: cujus frater Gregorius germani facinus abhorrens, patriam cum regno dimisit. Hæc Theophana peperit ex Ottone memorato secundo tertium Ottonem & filias tres. Quarum Sophia prima post Girbergam Abbatissa fuit nostri Ordinis in Gandersheim, virgo planè in scripturis docta, & vitæ merito plena. Secunda filia nomine Adelhaidis ejusdem Ordinis nostri postea in Quetelenburg Abbatissa fuit, virgo Deo mente dicata & corpore, cujus vita multis virtutibus clara effulfit. Tertiam verò Gutham nomine Udalricus quidam Bohemiæ Dux de quodam Cœnobio Monialium in Ratisbona violenter extraxit, sibi que in uxorem matrimonialiter copulavit.

Sophia filia Imper. Abbatissa.

His temporibus Gero venerabilis Colonienfium Archiepiscopus Monasterium nostri Ordinis in sua Diœcesi Gladebach nuncupatum fundavit, quod multis prædijs, & possessionibus splendidis locupletavit ad sustentationem Monachorum. Est autem Cœnobium ipsum satis notum, & insigne, situm non procul à Novesio ad Occidentalem plagam: in quo Monachi antiquitus in maxima sanctitate Deo servierant. Primus ejusdem Cœnobij Abbas per Geronem fuit institutus sanctus Sanderadus, vir doctus, & sanctissimæ conversationis, qui multis tam in vita, quam post mortem legitur claruisse miraculis. Unde post multa bonorum operum sancta exercitia tandem ad Dominum migrans, sanctorum in æterna felicitate consortio meruit adjungi. Cujus festum agitur quotannis vicefimâ die mensis Augusti.

Cœnobij S. Martini Colonie fundatur.

Hisciam temporibus Gero sanctissimus Colonienfium Ecclesiæ sæpe dictus Archipræsul Monasterium sancti Martini in Colonia sub norma divi Patris Benedicti construxit; quod Scotis Monachis pro Christo peregrinantibus inhabitandum dedit. Quod etiam Scoti multo tempore inhabitârunt, subsidium præsentis vitæ illis conferentibus fidelibus Christi, quamdiu in sanctitate regularis observantiæ perdurabant. Verùm à tramite rectitudinis postea in omnem vitæ dissolutionem declinantes, de Monasterio illo, sicut & de plerisque alijs, expulsi sunt: & alij nationis Germaniæ in locum eorum successerunt. Primus præfati Monasterij sancti Martini Abbas fuit Mymborinus, natione Scotus, Regulam sancti Patris Nostri Benedicti, sicut omnes, professus: vir integerrimæ conversationis, qui pro Christi amore non solum patriam suam deseruit, sed latas etiam possessiones contempsit; eligens pauper esse in domo Domini magis, quam habitare in tabernaculis peccatorum. Ejus vita plena virtutibus fuit, & suo exemplo multos ab iniquitate convertit; quoniam ut legitur, multis signis, & miraculis coruscavit, cujus festum Kalendis Januarij agitur.

Claruit his temporibus sanctus Adelbertus, natione, ut fertur, Boëmus, primò quidem Pragensis in Boëmia Episcopus, postea Martyr Christi magnificus. Qui divinâ revelatione præmonitus, fidem Christi prædicaturus intravit Pannoniam, & suis exhortationibus sanctis, primum Regem Ungarorum sanctum Stephanum cum multis alijs baptizavit: deinde Poloniam pertransiens, eos in fide confirmans ab eis martyrizatus est.

Adelbertus Episcopus Pragensis.

§ Adelbertus Monachus Mediolacensis.

tus est. Adelbertus item alius nostri Ordinis Monachus, & Scholasticus Cœnobij sancti Luthvini Mediolacensis in Diœcesi Trevirorum, his temporibus tam eruditione scripturarum, quàm vitæ sanctimoniâ clarus habetur; qui miraculis coruscans habitantem in se Christum sanctis operibus demonstravit. Moriens in multa vitæ puritate cantantibus Angelis, aeternam lætus transiit ad vitam. cujus festum septimo Kalendarum mensis Julij agitur. Ademannus quoque Monachus insignis Cœnobij Stabulensis in Diœcesi Leodiensi hæc tempora tum eruditione scripturarum, tum vitæ sanctitate reddidit clariora. Qui cum esset in amore Domini singulari devotione succensus, mirabili gratiâ compunctionis enituit, & crebris etiam in hac mortali vita miraculis coruscavit; fuit enim scripturarum eruditione illustris, & vitæ merito valde venerabilis, qui Sanctorum collegio non dubitatur conjunctus: cujus festum agitur tertio nonarum Februarij, hoc est, tertiâ die mensis ejusdem.

Hoc tempore Heinrico Trevirorum Archiepiscopo mortuo, Theodericus de Moguntia successit, sub quo Canonici majoris Ecclesiæ sancti Petri, qui à primo foundationis suæ tempore sub certa regula in communi usque in præscriptum tempus vixerunt, abjectâ pristinae conversationis normâ desierunt esse regulares, distributionibus inter se factis præbendarum: & qui prius more Apostolorum omnia habuere communia, cœperunt jam deinceps singuli possidere propria. Quorum exemplum postea secuti plures Canonici, sicuti sancti Paulini apud Treviros, sancti Castoris in Confluentia, SS. Martini & Victoris Moguntia, in Wormatia quoque & Spira de communi ad propriam vitæ rationem descenderunt, quod ideò fieri potuit, quia in multis tempore multa mutantur.

His etiam temporibus Hattone Archiepiscopo Moguntino mortuo, Rupertus successit, vir ingenio mansuetus, & vitæ conversatione tranquillus, sed propter brevitatem regiminis sui tantum prodesse non potuit, quantum pro sua bona voluntate coram Deo, & hominibus esse peroptavit. De Hattone vulgò recitatur historia, quam huic quoque inferere compilationi nostræ haud absolum judicamus. Ferunt enim, quòd tempore famis, quæ terram diebus suis oppresserat, magnam multitudinem pauperum, quos ad eleemosynam ex omni vicinia evocaverat, in quadam domo sequestrata procul ab alijs, fecerit ignibus concremari, quasi autores famis, utpote qui semper otiosi mendicantes aliorum laborantium sudores devorassent. Volens itaque, ut sensit, consulere, & eorum inopiæ, & utilitati patriæ communi famis incommodo laborantis, pravo consilio persuasus, omnes quotquot invitantibus creduli convenerant, extinxit. Quapropter divinam vindictam contra se provocavit. Nam tertio sui Pontificatûs anno, ut ferunt, nondum completo, divina in eum vindicta tali ordine processit. Murium nempe multitudo in illum innumerabilis irruit, quorum morsibus nimis importunâ vexatione mortem subire miserabilem compulsus est. Quocunque divertebat, mures catervatim occurrebant, & dentibus miserum crudeliter laniabant. Si fuit in alto vel eminentiore aliquo loco, mures per parietes turmatim ascendentes in illum irruerunt: si verò penetralibus inclusus, per rimulas intrabant, eumque infinitâ multitudine obruentes morderant, lacerabant, ac devorare penitus gestiebant. Quanto propellebantur à

Canonici Trevirensis Regulam abiciunt.

Mures devorant Hattone.

tur à ministris, tantò se amplius ingerebant, nec requiem ullo tempore nec loco misero dederunt. Cumq; in terra se tutum esse nusquam conspiceret, ab amicis suis dato consilio, aquarum se munimine cinxit: ac turrim in medio Rheni propè oppidum Bingiorum, ubi Nahus Rhenum influit, ad Quardiam loci ab antiquo constructam, scaphâ subvectus ascendit, sperans eò loci per undosi fluminis raptum mures nequaquam posse accedere. Sed nusquam est locus, quo divina potestas in delinquentes prohibeatur exercere justitiam, nisi contritio pœnitentiæ Judicis prævenierit vindictam. Ordinatione igitur divinâ mures infinitâ multitudinè convenientes per Rheni fluminis undas natârunt: per murû arcem celeriter ascendunt: Pontificem miserabilem omnes simul invadunt, rodunt, lacerant, ac postremò interficiunt penitus. Huic nos historia auctoritatem nec tribuimus, nec denegare possumus: quam & descriptam invenimus ab antiquis, & quasi recentem in ore hominum versari usque in hanc diem non ignoramus. Turris autem, in qua devoratus à muribus Hatto dicitur, juxta Bingen Oppidum Moguntinæ diœcesis in medio Rheni fluminis posita usque in præsens tempus murium arx, vulgaritur verò *der Mausthurn* ab incolis nuncupatur: & est in opposito Castelli Erenfels, ubi thelonium exigitur.

DCCCCLXXIV.

Anno Sigeri Abb. xxiii. Indictione Romanorû secundâ, quartâ die mensis Julij S. Udalricus Episcopus Augustensis in Suevia moritur: & in Ecclesia S. Affræ Martyris pauper in mundo, sed dives in Christo, anno pontificatûs sui quinquagesimo per S. Wolfgangum Ratisponensis Ecclesiæ præfulem sepelitur. Est autem Ecclesia sanctæ Affræ prædicta nostri Ordinis insigne Cœnobium, quod idem sanctissimus Præsul Udalricus de novo construens, dum viveret, in eo multitudinem collocaverat Deo servientium Monachorum. Successit ei in Pontificatu Henricus, qui postea cum multis alijs Episcopis, Abbatibus, Principibus atque nobilibus in exercitu Ottonis Imperatoris secundi à Græcis in Calabria, sicut dicemus, fuit occisus.

S. Udalric.
Episc. mo-
ritur.

His temporibus claruit S. Gregorius filius Nicephori quondam Imperatoris Græcorum, frater Theophanæ uxoris Ottonis secundi Imperatoris vir magnæ sanctitatis: qui regnum simul & Patriam tali occasione pro Dei amore contempsit. Anno Sigeri Abbatis undecimo, sicut dictum est supra, cum Nicephorus suspicione filiorum suorum laborans illos evnuchizare disponderet, Joannes senior filius matris inductione patrem strangulavit, & imperavit pro eo. Tantum scelus fratris in patrem detestatus Gregorius, & metuens simili crudelitate posse aliquando necari à Germano, qui nec genitori parcere potuisset, assumptis secum necessarijs venit in Germaniam, & ultra non est in Græciam reversus. Construxit autem in Porticeto juxta Aquasgrani Ordinis nostri Monasterium, in quo Monachus sanctissimè vixit miraculis coruscans: ubi & sepultus est. Uxorem Ottonis secundi Theophanam, alij sororem Joannis Græcorum Imperatoris fuisse scribunt, alij filiam: cujus diversitatis lectorem volumus esse præmonitum; ut nobis non imputet errorem, quem sine injuria partis alterius non possumus emendare.

S. Gregori-
us Monac.

Cœnobij
fundaturij
Porticeto.

Anno prænotato Benedictus Papa vi. machinatione Romanorum

Q3

incar-

in carceratus, tandem in Adriani mole ſtrangulatus eſt: cui Donus ejus nominis ſecundus ſucceſſit, & præfuit anno uno, meſes vii.

Eodem quoque anno RATHERIUS ex Monacho Lobienſis Monafterij in Lotharingia, primò Epifcopus Veronenſis in Italia, poſtea verò Leodiſis in ipſa Lotharingia, & pulſus ab utriſque, dudum reverſus ad ſuum Cœnobium Lobias moritur, & ibidem ſepelitur. Cujus eſt de ſe moniſtichon hoc, ſuo ſepulchro priuſquam moreretur inſculptum: *Ratherium præful: ſed ter RATHERIUS exul.* De hujus viri ſcientia eruditione & lucubrationibus latam in præcedentibus fecimus mentionem.

Rheginherus Comes Montenſis.

Item anno prænotato Reginherus junior filius Reginheri Comitæ de monte, quem Bruno Archiepiſcopus Coloniſis cum filiis in exilium compulerat, ut dictum eſt anno Sigeri Abbatis ſeptimo, bonam confidentiam habens de recuperando comitatu paterno, paulatim reſumptis viribus à Gallia redijt: & cum Wernero comite, qui prius ſuum comitatu ab Ottone Magno Imperatore acceperat, apud Beronam bello conflixit: eoque cum multis alijs interfecto comitatum Montenſem, paternam videlicet hæreditatem, potenter obtinuit. His quoque temporibus Otto Dux Saxonie conſanguineus Ottonis Imperatoris ſecundi filius Hermani Ducis potentiſſimi, & ideò honeſtiſſimi Principis, cum eſſet magnus & dives in auro & argento, nec filios haberet, volens Chriſtū bonorum ſuorum inſtituere hæredem, fundavit juxta Moganum in Oppido Aſchafenburg Moguntinæ diœceſis, duobus ferè milliaribus à Selgenſtat, inſignem Canonicoꝝ Eccleſiam: quam multis poſſeſſionibus magnificè dotavit, in qua & poſtea mortuus unà cum Ida venerabili matre, & Lucarde ſorore relatus ex Italia ſepultus fuit: ultimo enim Ottonis ſecundi anno pergens cum illo in Calabriam, à Græcis cum alijs multis fuit occiſus, quem admodum Sigeri Abbatis anno xxx. dicemus.

DCCCCLXXV.

Werenbaldus Hirſaugienſis Monachus.

Anno Sigeri Abbatis xxiv. Indiſtione Romanorum tertiâ obiit Werenbaldus hujus Cœnobij S. Aurelij Hirſaugienſis Monachus: qui cum eſſet vir in omni genere ſcientiarum doctiſſimus, ſcripſit inter cætera ingenij ſui opuſcula pulcherrima lib. de laude Sanctorum Martyrum. Aliū ſimiliter edidit de malis ſuorum temporum, quem lamentationes Werenbaldi prænotavit. Alia quoque non pauca ſcripſiſſe dicitur: quæ nimia intercapedo temporum penitus cum oblivione ſepelivit. Hic Werenbaldus ſanctiſſimus, doctiſſimusque Monachus tantæ apud ſuos opinionis & aſtimationis fuit, ſicut Meginfridus ſcribit, ut mortuo Spirenſium Epifcopo Otgero, in ejus locum à Canoniciſ fuerit electus, multisq; precibus, ut Pontificatum ſuſciperet oblatu fatigatus. Ipſe autè mundo jam mortuus atque ſepultus, nullâ ratione induci potuit, ut ſe curis & negotijs ſæculi ruruſ ſubmitteret, reſpondens notabile verbum ſuadentibus: *ſi mundo ſervire voluiſſem, in hanc ſolitudinem non veniſſem.* Obijt autem decimâ die meſis Novembris non ſine opinione ſanctitatis, & in Eccleſia S. Aurelij Præfulis cum honore congruo ſepelitur.

Eodem anno mortuus eſt Archiepiſcopus Trevirorum Theodericus, ſub quo Canonici majoris Eccleſiæ Trevirenſis S. Petri, ut ſupra diximus, deſiderium convertentes ad propria, deſierunt eſſe regulares. Anno etiam prænotato moritur Rupertus Archiepiſcopus Moguntinus: cui

cui Willegifus successit; vir per omnia magnificus, & Dei cultor maximus, qui multa bona fecit in omni tempore Pontificatus sui: vitâ & conversatione apostolicus, & omni scientiâ scripturarum egregiè doctus: Dei amicus, à Regibus & Principibus magnificè honoratus. Dilexit Clerum: Monachos honoravit: pauperum curam nunquam intermisit: in exhortando fuit alacer: in monendo dulcis & blandus, & in corectione perverforum optimâ discretione severus, non crudelis. Qui de humili parentela progenitus, patrem habuit fabrum lignarium, qui currus manu faciebat, & carros, quos alio nomine bigas vulgariter nuncupamus, talique & se, & suos artificio nutrebat.

At Willegifus in sua puericia positus ad scholas, cum esset pauper, stipem cum pauperibus more scholarium quærebat: & quantum sinebat atas in studio litterarum continuus fuit. Crevit cum tempore fervor, & amor discendi, eoque successivè profecit, ut inter doctos doctor ipse evaderet. Factus tandem Archiepiscopus, ut pristinae humilitatis memoriam semper possit habere in promptu, rotam carri unam in secreto cubiculo fecit in pariete depingi: ad cujus partem superiorem hæc verba fuerunt litteris adscripta latinis: *Willegise memento, quid modo sis? quid antea fueris? & quid in brevi necessario futurus sis.* Per rotam generis sui humilem conditionem ad mentem sedulo cupiens revocare, quatenus solidè in semetipso potuisset consistere. Hanc ejus cameram præter unicum Presbyterum Capellanum nemo permittebatur ingredi, quamdiu illum in hac vita mortali contigit remorari. Quo mortuo publicum factum est, & manifestum omnibus arcanum, quod Willegifus Archiepiscopus fecerat. Hujus occasione facti sanctus Henricus Imperator Romanorū, ut ferunt, rotam pro singulari memoria Willegifi Moguntinensibus dedit in signum, quod retinent in armis usque in præsentem diem. Præfuit autem Willegifus in Archiepiscopatu annis sex & triginta.

DCCCCLXXXVI.

Anno Sigeri Abbatis vicesimo quinto, secundus Otto Imperator conventum Principum generalem celebravit in Moguntia, ubi inter cætera cunctis per totum imperium fuit sub pœna capitis, & amissione omnium bonorum interdictū rapinas exercere in regno: quod plerique pœna transgressi Comites, & Nobiles, sine misericordia capitibus mox amputatis, quas meruere, pœnas dederunt. Claruit his temporibus in Anglia sanctus Dunstanus Abbas Monasterij Glasconiensis, postea Episcopus Wintoniensis, ac deinde Cantuariensis Archiepiscopus, vir doctus, & magnæ sanctitatis; qui multis & in vita, & post mortem fertur claruisse miraculis, cujus vitam Osbernus Cantuariensis Monachus nostri Ordinis clario sermone compilavit. Ejus festum nonâ decimâ die mensis Maij apud Albiones agitur. Eodem quoque tempore claruit in Anglia Adelboldus Monachus, memorati Cœnobij Glasconiensis, sancti Dunstani Abbatis in eodem auditor atque discipulus, vir in divinis scripturis doctus, & morum sanctitate integerrimus, qui multos verbo, & exemplo ad justitiam erudivit. Unde crescentibus meritis post Præceptorem suum Dunstanum Episcopus Wintoniensis ordinatus ex Abbate Cœnobij Abendonien-
 nis vitam suam in multa puritate custodivit, & tandem feliciter in Domino quievit. Item claruit his ipsis temporibus tam vitæ merito, quam

Willegifus
 fit Archie-
 piscop. Mo-
 guntinus.

Cur ferat
 Moguntia
 rotam.

S. Dunstanus
 ex Monacho
 Archiepiscopus.

Oswaldus
ex Monach.
Archiepisc.
Eboracens.

quàm eruditione scripturarum illustris, & cunctorum opinione celeberrimus Oswaldus ex Monacho Floriacensis Coenobij, primus ante sanctum Dunstanum & Adalboldum Episcopus Wintoniensis, ac deinde Archiepiscopus Eboracensis, Ottonis ante Dunstanum Cantuariensis Archiepiscopi nepos: vir in omni scriptura tam divina, quàm humana doctus, & vitæ merito integerrimus, qui se in omnibus Pastorem bonum exhibuit.

DCCCCLXXVII.

Anno Sigeri Abbatis xxvi. Lotharius Gallorum Rex cupiens Lotharingiam suo subjugare imperio, magno suorum adunato exercitu usque ad palatium Aquisgrani pervenit. Quod cum Ottoni II. Imperatori certâ fuisset relatione nuntiata, mox copijs summâ celeritate paratis, Rheno transmissis illi cœpit potenter occurrere, prælium cupiens cum illo tentare. Unde pavore concussus Rex Lotharius fugit, quem infectus magnanimus Otto nullo resistente devastando usque Parisios pervenit, partem tamen exercitûs modicam circa Axonam fluvium in redeundo amisit. Verùm quia nec Deo pepercerunt, cujus Ecclesias spoliaverunt, & depopulari sunt, quidam Dei famulus inclusus prædixit, quia nullus Auctorum hujus mali septennium supervicturus esset, quod verum rei probavit eventus.

Anno etiam præsignato mortuus est Reginhardus Monachus, & scholasticus hujus Monasterij sancti Aurelij Hirsaugiensis, de quo supra dictum est anno Sigeri Abbatis xiv. post cujus obitum Theobaldus Monachus jubente Sigero Abbate docendi provinciam subivit. Vir certè tam in divinis scripturis, quàm in secularibus litteris egregiè doctus, qui Monachos juvenes suo magisterio commissos non solum litteris, sed etiam sanctis moribus erudit, de cujus schola multi Fratres in viros præstantissimos cum tempore evaserunt.

DCCCCLXXVIII.

Ignæ acies
apparuerunt
in cœlo.

Anno Sigeri Abbatis xxvii. acies igneæ 28. die mensis Octobris, hoc est, in solemnitate sanctorum Apostolorum Simonis & Judæ per totam noctem visibiles apparuerunt in cœlo. Romæ post Donum ejus nominis II. in Cathedra S. Petri Bonifacius præfuit annis duobus, vel ut alij scribunt, mensibus tantum duobus. Quo mortuo Benedictus septimus successit, & præfuit annis octo, vir bonus & in Ecclesiastico regimine strenuus. Eodem Tempore Constantinus Joannis Græcorum Imperatoris filius, nonus & quadragesimus post mortem patris cum Alexio, & Emmanuele fratribus imperavit in Græcia: quos Bajanus Bulgarorum Rex, de quo dictum est anno Sigeri Abbatis xix. magicæ artis omnium suo tempore peritissimus, ita bello & magicis artibus vexavit, ut à capienda Constantinopoli parùm abfuerit, eosque in multis graviter afflixit artibus, & viribus suis.

Ecclesia
Moguntina
restauratur.

His etiam temporibus Willegisus Reverendissimus Moguntinensium Archiepiscopus majorem Ecclesiam de domo S. Martini novam à fundamentis pulchro tabulato lapideo pretiosissimè exstruere cœpit: quam tandem perfectam solemniter consecravit.

In monte quoque memoratæ civitatis Moguntinæ sub honore sancti Protomartyris Stephani Canonicorum suis impensis exstruxit Ecclesiam, quam prædijs & possessionibus multis ad sustentationem servientium

Domino

Domino largâ manu providit; in qua & mortuus, sicut vivus disposuerat, sepultus fuit. Monasterium quoque S. Victoris extra Moguntiam, in quo Canonici regulariter in communi vivebant, suis impensis ampliavit, & multis Cœnobijs Monachorum, & Ecclesijs plura beneficia præstitit.

DCCCC LXXIX.

Anno Sigeri Abbatis xxviii. Otto Imperator Romanorum II. & Lotharius Gallorum convenientes super Karum fluvium pacificati sunt, datis in vicem Sacramentis & necessarijs monumentis litterarum. Ibi Lotharius Rex Gallorum Lotharingiam cum omnibus ad eam pertinentibus, quam ad jus suum pertinere hæcenus contendebat, publicè ac spontaneâ voluntate abjuravit, consentientibus ac cum eo jurantibus cunctis Galliarum, qui aderant, Episcopis, Abbatibus, Principibus & Nobilibus, ita videlicet, quòd Lotharingia tota deinceps sine cujusdam impeditio-
ne, vel inquietatione Gallorum, perpetuo liberè sub imperio sit Germanorum. Eodem anno Imperator Otto secundus cum valido exercitu Germanorum profectus est in Italiam, & quamvis dudum adhuc genitore in humanis existente, Romæ fuisset à Papa coronatus Rex, iterum jam nunc à Benedicto Papa vii. se ungi & coronari fecit in Imperatorem.

Lotharing.
pertinet ad
Imperium.

Otto secū-
dus Romæ
coronatur.

Claruit his quoque temporibus Herigerus Abbas Lobienſis Cœnobij in Lotharingia Ordinis Divi Patris nostri Benedicti. Vir in divinis scripturis eruditissimus, & sæcularis litteraturæ non ignarus, carmine simul exercitatus & prosâ: cujus meminit Beruo Abbas Augiensis in libro quodam de adventu Domini ad Aribonem Archiepiscopum Moguntinum. Scripsit inter cætera ingenij sui synthemata dialogum insignem sub sui persona, & cujusdam Adelboldi Clerici, tunc Romæ existentis; qui postea Trajectensis Ecclesiæ Præful fuit, quem de dissonantia Ecclesiæ prænotavit. Vitam quoque S. Ursuari metricè composuit. De officijs etiam divinis librum unum. De Corpore & Sanguine Domini librum unum. De gestis quorundam Abbatum Lobienſium, qui rexerunt Episcopatû Leodiens. Alia quoque nonnulla scripsisse dicitur, quæ ad manus nostras non venerunt. Floruit & Adelbertus Monachus præfati Monasterij Lobienſis & postea Gemblacensis Abbas, qui multos habuit egregios discipulos, inter quos erat non ultimus Burckardus Monachus postea Wormatiensis Episcopus, de quo suo tempore dicemus. Scripsit autè vir iste sapientissimus, vitam & conversationem plurium Sanctorum, & varia ad laudem Dei carmina cudens cantus elegantissimos ordinavit.

Herigeri
Abb. opu-
scula.

Adelbertus
Abb. Gem-
blacensis.

Claruit etiam his ferme temporibus Flodoardus Presbyter Ecclesiæ Rhemenſis in Gallia, vir doctus, qui scripsit inter cætera ingenij sui opuscula de origine Civitatis Rhemorum, & successione gestisque Pontificum ejusdem satis commendabile opus, cujus mentionem fecit Richerus Monachus Rhemenſis in gestis Gallorum ad Gerbertum sæpe dictæ civitatis Archiepiscopum. Si quid scripsit amplius, in notitiam & manus nostras adhuc minimè pervenit: alius quærat, quisquis scire desiderat.

DCCCC LXXX.

Anno Sigeri Abbatis vigesimo nono, mortuus est Adelbertus Monachus, & scholarum Magister Cœnobij sancti Matthiæ apud Treviros, de quo supra dictum anno Sigeri Abbatis quarto: post quem scholis Monachorum præfectus est, Theodericus ejusdem Monasterij Monachus, tam

R

in di-

in divinis scripturis, quàm in secularibus litteris egregiè doctus: præfuitque scholis Monachorum strenuè annis xiv. & multos insignes discipulos gloriosè instituit. De cujus lucubrationibus ista invenimus. De inventione Reliquiarum sancti Celsi, quæ per Egebertum Archiepiscopum Trevirorum vii. Calend. Martij in præfato Monasterio repertæ sunt, lib. i. De miraculis ejusdem sancti lib. i. Sermones & varias homilias dixit ad Fratres.

Remigius
Abbas Me-
diolacens.

Opuscula
hujus Re-
migij Abb.

Claruit his temporibus in Cœnobio sancti Luthvini Mediolacensi, quod sex ferme ab urbe Trevirorum milliabus distat juxta fluvium qui Sara dicitur, Remigius Monachus, primò Magister scholarum, ac deinde ejusdem Cœnobij, ut ferunt, Abbas; vir certè undecunque doctissimus: ingenio subtilis, & disertus eloquio, vitæ quoque merito venerandus. Philosophus, Poëta, Rhetor & Musicus, omnium suo tempore celeberrimus: sub cujus magisterio multi viri eruditissimi claruerunt. Scripsit autem multa præclara opuscula: è quibus numerantur subjecta. In quinque libros Moyfi. In quatuor Evangelia Christi. In omnes Epistolas Pauli. Regulas fecit de Visione abaci. In Priscianum Grammaticum Commentarios edidit. Super Donatum quoque majorem & minorem. Jubente Trevirorum Archiepiscopo Eckberto, cantum de sanctis Eucharior, Valerio & Materno primis Trevirorum Episcopis dulci & regulari modulatione composuit. Duobus etiam Monachis ex Gandavo Cœnobij Blandiniensis ordinis nostri discipulis suis rogantibus, cum ex Mediolacu ad sua jam essent reversuri, de sancto Bavone cantum composuit nocturnalem. Sermones quoque multos, & cantus in diversorum honore sanctorum elegantissimos fecit. Litanias & cantilenas, quæ in Rogationibus frequentantur ipse composuit. Huic Remigio scholarum Magistro serenissimus Imperator Romanorum Otto secundus auream camænam gracilem destinavit per nuntium: designans eum omnium suo tempore Musicorum principem, ob artis simul & vocis elegantiam.

Imperator
Apulia &
Calabriam
capit.

Anno quoque prænotato Imperator Otto II. in Italia cum exercitu Germanorum existens. Apuliam & Calabriam Italiæ Provincias, de manu Græcorum, qui illas possidebant, ad Imperium Romanum conatur reducere, & ab imperio Græcorum revocare: quod mali seminariū fuit.

Eodem anno mortuus est ex dolore calculi Adelbertus ex Monacho S. Maximini Trevirensis primus Archiepiscopus Magdeburgensis in Saxonia, anno Pontificatûs sui tertio decimo, mense octavo, vir sanctus atque doctissimus, qui alio nomine Herdingus vulgò fuerat nominatus. Post mortem Adelberti memorati Archiepiscopi electus fuit Odericus Monachus Corbejenfis, vir in omni genere scripturarum doctissimus, & vitæ sanctimoniâ valde reverendus: qui cum esset in sua humilitate contentus, electioni consensit invitus, oravitque Dominum, ut eum ad Episcopatûs apicem non permitteret ascendere, quod & impetravit. Nam in eundo ad Sedem Apostolicam pro electionis suæ confirmatione obtinenda, cum Imperator eo tempore esset in Italia, sicut petijt à Domino, mortuus est.

DCCCCLXXXI.

Anno Sigeri Abbatis xxx. Græci malè ferentes Ottonem Imperatorem Romanorum Apuliam & Calabriam contra jus & æquitatem abstulisse

stulisse ab eis, comparato mercenario exercitu contra illum in finibus Calabriae procedunt ad bellum: in quo certamine omnes Germanorum & Romanorum copiae usque ad internecionem penè deletae sunt. Ibi ceciderunt plures Episcopi Germaniae, qui cum Imperatore venerant: inter quos fuit Henricus Augustensis Praesul, successor S. Udalrici; post quem Bruno Pontificatum Augustensem suscepit, qui frater S. Henrici Imperatoris fuit. Concidit in eodem bello Dux inclitus Saxonum Otto fundator Canonicae Ecclesiae in Aschaffenburg: de quo supra diximus anno Sigeri Abbatis vicesimo tertio. Is Ottoni secundo Imperatori sanguine proximus, sicuti illum in pace & prosperitate semper dilexerat, ita etiam in adversis magnam fortitudine sequebatur. Itaque cum esset in praescripto certamine, & praevalentibus Graecis Romani diffugerent, noluit fugere: sed stans fortiter, & pugnans in medio hostium virtuosè tandem occubuit anno praescripto, ultimam videlicet die mensis Octobris. Cujus corpus ordinatione Imperatoris in Germaniam relatum à Willegiso Mouguntinensium Reverendissimo Archiepiscopo in Ecclesia Aschaffenburgensi, quam fundaverat, honorificè sepultum est, praesentibus ibidem Yda matre ac Machilde Abbatisa veneranda sorore ejus, funus non sine mentis dolore conspicientibus. In eodem quoque praelio Wernherus Abbas Fuldenfis Monasterij, Domino Imperatori semper fidelissimus, à Graecis comprehensus interfectus est: vir doctus & prudentiae singularis: cui Brando Monachus, & ejusdem Coenobij magister scholarum doctissimus in Abbatia Fuldensi successit.

Graecis itaque in bello praevalentibus Otto Imperator natando tentans evadere, à nautis ignorantibus eum capitur: & à quodam eorum, qui fuit negotiator, cognitus, nec tamen proditus est. Qui negotium retulit ad Imperatricem, quae cum Theoderico Metensium Episcopo in civitate Rhofan rei praestolabatur eventum. Unde cum maxima difficultate Imperator per Episcopum & negotiatorem praedictum vix liberatus à nautis evasit. Omnibus pro infortunio & pudore facti animo consternatis, sola Imperatrix Theophana, femineae & Graecae levitate insultabat eis, quod ab exercitu suae nationis tam miserabiliter victi essent Romani. Quod verbum altius, quam ipsa putabat, in cor omnium descendit: ratione cujus paulatim apud omnes penè optimates exosa mulier facta est.

DCCCCLXXXII.

Anno Sigeri Abbatis xxxi. currente, vicesimam tertiã die mensis Julij obiit Poppo junior Episcopus Herbipolensis: cui Hugo vir magnificus succedens praesuit annis sex, mensibus septem, diebus uno & viginti: qui cum omnibus esset gratus, & ad apicem Pontificiae sublimitatis dignitatisque valde idoneus, de reddenda ratione villicationis suae semper sollicitus, inter caetera Monasterium S. Andreae Apostoli, quod B. olim Burckardus Episcopus sub monte in opposito civitatis Wirzburgensis circa Moganum construxerat, negligentiam Praelatorum in utroque statu penè collapsum suis impensis reformavit: & de consensu Benedicti Papae VII. corpus S. Burckardi ad Ecclesiam ejusdem Coenobij transtulit: & eundem locum decimis & possessionibus, quantum potuit ampliavit. Ab illo deinceps tempore nomen praedicti Coenobij mutatum est: & à reliquijs ac fundatore primo ad S. Burckardum vocatur usque in praesentem diem.

R 2

diem.

Dux Otto
in bello ce-
cidit.

Otto Impe-
rator na-
tando eva-
sit.

Imperatrix
se fecit o-
diosam.

Hugo fit
Episcopus
Herbipo-
lensis.

diem. Post plures deinde annos Monachi ejusdem Cœnobij tempore Friderici Principis Romanorum tertij, dispensante cum eis Romano Pontifice Pio secundo ordinem cum habitu abjecerunt.

Sigerus Abbas S. Aurelij obiit.

Anno prænotato vicesimâ tertiâ die mensis Augusti, obiit Sigerus Abbas hujus Monasterij sancti Aurelij Hirsaugiensis VII. Vir per omnia sanctissimus, qui Monasterio satis utiliter præfuit: cui similis postea usque ad sanctum Wilhelmum alius in Abbacia non surrexit. Sepultus est autem non sine lachrymis Fratrum in Ecclesia B. Aurelij Pontificis ante Altare D. Laurentij Martyris non sine magna opinione sanctitatis.

De Lupoldo Monasterij Hirsaugiensis octavo Abbate, qui præfuit annis quatuor, mense uno, & quibusdam gestis illius temporis.

Reverendissimo Abbate Sigero sepulto cum pia Fratrum devotione & honore congruo, posteaquam dies instabat eligendi, quæ fuit ejusdem mensis vicesima quinta, hoc est, altera post festum sancti Bartholomæi Apostoli, convenerunt in unum Fratres, ut sibi de novo Pastore secundum Regulam providerent: & factâ collatione præviâ, ut moris eo tempore fuit, Lupoldum Monachum ex se unum in Abbatem concordialiter elegerunt, virum bonum, & senio venerabilem, qui præfuit huic Monasterio sancti Aurelij Hirsaugiensi annis duntaxat quatuor, & mense uno. Hic gente fuit Bavarus, patriâ Ratisponensis, ortus mediocri parentelâ, sed liberâ tamen & honestâ, qui sub Diethmaro quondam Abbate ordinem juvenis intravit: in quo annis plusquam quadraginta sex religiosissimè vixit: ad omnem semper obedientiam promptissimus: ambulans ante faciem suam in pace & tranquillitate animi quietus: nulli gravis, nulli molestus, nulli unquam in aliquo onerosus. Erat sanè homo columbinæ simplicitatis, & divinarum humanarumque scripturarum non ignarus: non minùs exemplo viam rectitudinis subditis insinuans, quàm sermone; semper enim cogitavit, cui esset rationem omnium redditurus.

Lupoldus fit Abbas S. Aurelij.

Otto Imperator II. moritur.

Anno prænotato octavo die mensis Decembris Otto Imperator II. tædio & angore animi deficiens, propter incommodum, quod in Calabria susceperat à Græcis, Romæ moritur, & in Ecclesia sancti Petri Apostolorum Principis cum honore tanto funeri conveniente sepelitur. Mortuo Imperatore atque sepulto, gravis de successore inter Principes orta fuit dissensio: alijs odio Imperatricis Theophanæ, quod illa sibi levitate suâ consciverat, ut suprâ dictum est, Imperium à filio ejus Ottone transferre volentibus, in Heinricum Ducem filium Henrici Bavaricæ Ducis, qui frater erat primi Ottonis: alijs verò legitimo hæredi Ottoni tertio, secundo videlicet ex Theophana genito Imperium deberi certantibus.

DCCCLXXXIII.

Otto III. capit Imperium.

Anno Lupoldi Abbatis primo, Otto tertius Ottonis secundi filius admodum puer electione Principum sumpsit Imperium, & imperavit annis ferme decem & octo: cujus mater erat Theophana filia Imperatoris Græcorum Nicephori. Uxorem habuit Mariam filiam Regis Arragoniæ,